I

LIBER PRIMUS. DE LYVONIA

1. DE PRIMO EPISCOPO MEYNARDO. Divina providencia, memor Raab et Babilonis, videlicet confuse gentilitatis, nostris et modernis temporibus Livones ydolatris ab ydolatrie et peccati sompno taliter igne sui amoris excitavit.

2. Fuit vir vite venerabilis et venerande caniciei, sacerdos ex ordine beati Augustini in cenobio Sigebergensi. Hic simpliciter pro Christo et predicandi tantum causa cum comitatu mercatorum Lyvoniam venit. Theutonici enim mercatores, Lyvonibus familiaritate coniuncti, Lyvoniam frequenter navigio per Dune flumen adire solebant.

3. Accepta itaque licencia prefatus sacerdos a rege Woldemaro de Ploceke, cui Lyvones adhuc pagani tributa solvebant, simul et ab eo muneribus receptis, audacter divinum opus aggreditur, Lyvonibus predicando et ecclesiam in villa Ykescola construendo.

4. Ex eadem villa primus Ylo, pater Kulewene, et Viezo, pater Alonis, primi baptizantur, aliis vicissim sequentibus.

5. Proxima hyeme Lettones vastata Lyvonia plurimos in captivitatem abducunt. Quorum rabiem declinans idem predicator cum Ykescolensibus silvis committitur. Recedentibus Letthonibus causatur iam dictus Meynardus Lyvonum stulticiam, eo quod municiones nullas habeant, quibus castra fieri pollicetur, si filii Dei censeri et esse decreverint. Placet et promittitur et, ut baptismum recipiant, iuramento firmatur.

6. Igitur estate proxima a Gothlandia lapicide adducuntur. Interim suscipiende fidei sinceritas a Lyvonibus confirmatur secundo. Ante castri Ykescolensis inchoacionem pars populi baptizatur et facto castro universitas se baptizandam, licet mendaciter, pollicetur. Ergo muri a fundamentis exsurgunt. Quinta pars castri sicut a predicatoris surgit expensis, sic eius cedit proprietati, ecclesie fundo ab eo primitus comparato. Perfecto demum castro baptizati recidivant, nondum renati fidem suscipere detrectant. Idem tamen Meynardus ab incepto non desistit. Eo tempore Semigalli, pagani vicini, audita lapidum constructione, ignorantes eos cemento mediante firmari, cum magnis funibus navium venientes, putabant se stulta sua opinione castrum in Dunam trahere, sed a balistariis vulnerati dampna reportantes abierunt.

7. Vicini Holmenses simili promissione prefatum Meynardum circumvenientes facto sibi castro de dolis lucra reportant. Sex primitus qualicumque intencione baptizati sunt, quorum nomina sunt Viliendi, Uldenago, Wade, Waldeko, Gerweder, Vietzo.

8. Inter duorum predictorum castrorum constructionem a Bremensi metropolitano Meynardus in episcopum ordinatur.

9. Consummato autem castro secundo oblita iuramenti mentita est iniquitas sibi, nec est usque ad unum, qui fidem suscipiat. Turbatur nimirum predicantis animus, presertim cum pedetentim rebus suis expilatis, colaphizata familia ipsum suis de finibus exterminare decernant, baptismum, quem in aqua susceperant, in Duna se lavando removere putant, remittendo in Theuthoniam.

10. Habebat idem episcopus cooperatorem in ewangelio, fratrem Theodericum Cisterciensis ordinis, postmodum in Estonia episcopum, quem Lyvones de Thoreyda diis suis immolare proponunt, eo quod fertilior seges ipsius sit in agris eorumque segetes inundacione pluvie

perirent. Colligitur populus, voluntas deorum de immolatione sorte inquiritur. Ponitur lancea, calcat equus, pedem vite deputatum nutu Dei preponit. Orat frater ore, manu benedicit. Ariolus deum christianorum equi dorso insidere et pedem equi ad preponendum movere asserit, et ob hoc equi dorsum tergendum, quo deus elabatur. Quo facto, dum equus vite pedem preponit ut prius, frater Theodericus vite reservatur. Idem frater missus in Estoniam propter eclipsim solis, que in die Iohannis baptiste fuit, a paganis plura passus est vite pericula, dicentibus ipsum solem commedere. Eodem tempore Lyvo quidam de Thoreida vulneratus petivit a fratre Theoderico curari, promittens se, si curatus fuerit, baptizari. Frater autem herbas contundens nec tamen herbarum effectum sciens, sed invocato nomine Domini ipsum et in corpore et in anima baptizando sanavit. Et hic primus in Thoreida fidem Christi suscepit. Infirmus eciam quidam fratrem Theodericum vocat, baptismum petit. Quem mulierum proterva prohibet pertinacia a sancto proposito. Sed invalescente egritudine vincitur muliebris incredulitas, baptizatur, orationibus Deo committitur. Cuius morientis animam neophitus quidam ad septem distans miliaria ab angelis in celum deferri vidit et agnovit.

11. Visa autem Lyvonum pertinacia et labore cassato episcopus predictus collectis clericis cum fratribus mercatorum naves iam in pascha Gothlandiam ituras recedendi proposito aggreditur. Unde Lyvonum astucia christianorum timet et suspicatur super se venturum exercitum, unde dolis et lacrimis et aliis multis modis prefatum ficte revocare student episcopum, dicentes, ut illi quondam beato Martino, licet intentione non simili: Cur nos, pater, deseris aut cui nos desolatos relinguis? Nam recedendo pastor oves suas periculose faucibus luporum exponit'. Et ipsi Lyvones plene se fidem suscepturos repromittunt. Credit innocens omni verbot et mercatorum consilio simulque futuri exercitus fiducia accepta cum Lyvonibus revertitur. Promiserant enim aliqui de Theuthonicis et quidam de Danis et de Normannis et de singulis populis exercitum se, si opus foret, adducturos. Post discessum mercatorum redeuntem episcopum Holmenses salutatione et animo Iude salutant, dicentes: “Ave rabbi”, et quo precio sal aut watmal in Gothlandia comparetur, inquirunt. Non differt lacrimas amaritudo cordis, transit Ykescolam et in domum suam recipitur. Statuit diem, ut colligat populum promissi monendum, Diem non servant, promissum non implent. Unde cum suis captato consilio in Estoniam ire proponit, quatinus cum illis, qui ibi hyemaverant, mercatoribus pergat Gothlandiam. Interim Lyvones in via eius procurant interitum, sed ab Annone Thoredensi premunigtur et redire monetur. Itaque multipliciter perplexus Ykescolam revertitur, terram declinare non valens.

12. Unde pro captando consilio domno pape clam nuncium suum, fratrem Theodericum de Thoreyda, direxit. Qui videns se de terra exire non posse, pio dolo vicit Lyvonum insidias, vectus equo, habens stolam, librum, aquam benedictam, quasi infirmum visitaturus; et hanc vie sue causam viatoribus interrogantibus pretendens, terram exeundo evasit et ad summum usque pontificem pervenit. Summus itaque pontifex audito numero baptizatorum non eos deserendos censuit, sed ad observationem fidei, quam sponte promiserant, cogendos decrevit. Remissionem quippe omnium peccatorum indulsit omnibus, qui ad resuscitandam illam primitivam ecclesiam accepta cruce transeant.

13. Iam tunc idem episcopus cum duce Suecie, Theuthonicis et Gothis Curones bello adierant, sed tempestate depulsi Vironiam, Estonie provinciam, applicant et triduo terram vastant. Sed dum Virones de fide recipienda tractarent, dux, accepto potius tributo ab eis vela sustollens divertit in molestiam Theutonicorum.

14. Interea pie memorie Meynardus episcopus post multos labores et dolores decidit in lectum et videns se moriturum Lyvonie et Thoreide convocat quosque seniores, inquirens, si post mortem suam deinceps carere velint episcopo. Illi autem magis se episcopo et patre gaudere velle communiter affirmant. Et post paululum episcopus diem clausit extremum.

II

LIBER SECUNDUS. DE EPISCOPO BERTOLDO

1. DE CONSECRATIONE EPISCOPI BERTOLDI. Celebratis secundum morem exequiis et episcopo qualicunque Lyvonum planctu et lacrimis sepulto de successore tractatur et ad Bremensem metropolim pro persona ydonea mittitur. Demonstratur de Cysterciensi ordine Lucensis abbatis Bertoldi reverenda persona, Difficilis quidem primitus ad eundum exhibetur, sed metropolitani victus precibus predicationis onus aggreditur.

2. Factus episcopus, primo sine exercitu Domino se committens fortunam exploraturus Lyvoniam pergit, Ykescolam venit et ecclesie dotem ingrediens quosque meliores tam paganos quam christianos coram se colligit. Quos potibus et escis et muneribus datis placare laborat, dicens se eorum vocatione venisse et predecessori suo in solium successisse. Quem quidem primo blande suscipiunt, sed ipsum in Holmensis cymiterii consecratione alii in ecclesia concremare, alii occidere, alii submergere concertabant, egestatem adventus sui causam esse improperabant.

3. Talibus iniciis consideratis elam naves adiit et Gothlandiam revertitur et in Saxoniam procedens Lyvoniensis ecclesie ruinam tam domno pape quam metropolitano et Christi fidelibus conqueritur universis. Igitur domnus papa cunctis signum crucis accipientibus et contra perfidos Lyvones se armantibus remissionem indulget peccatorum, litteras super hiis eidem episcopo Bertoldo sicut et suo dirigens predecessori.

4. Episcopus ergo collectis viris Lyvoniam venit cum exercitu, ad castrum Holme procedens, quod quidem in medio fluminis situm est. Hic misso trans aquam nuncio querit, si fidem suscipere et susceptam servare decernant. Qui se fidem recognoscere nolle nec servare velle proclamant. Episcopus vero neglectis retro navibus ipsis nocere non potuit. Ergo cum exercitu ad locum Rige revertitur et cum suis quid agat consiliatur.

5. Interea contra ipsum Lyvonum universitas colligitur et trans montem Rige stationem faciunt pugnare parati. Dirigunt tamen episcopo nuncium, causam exercitus superducti requirentes. Respondet episcopus causam, quod tamquam canes ad vomitum, sie a fide sepius ad paganismum redierint. Item Lyvones: “Causam hanc”, inquiunt, a nobis removehimus. Tu tantum remisso exercitu cum tuis ad episcopium tuum cum pace revertaris, eos, qui fidem susceperunt, ad eam servandam compellas, alios ad suscipiendam eam verbis non verberibus allicias'. Episcopus ab eis huius securitatis obsides filios ipsorum requirit, et illi penitus se daturos contradicunt. Interea colligende partis corum causa breves dant et recipiunt inducias, missis invicem lanceis secundum morem ad confirmationem pacis. In qua pace plures Theutonicos equis pabula querentes occiderunt. Quo viso domnus episcopus ipsorum lancea remissa paci contradixit.

6. DE BELLO E[PISCOPI] BERTOLDI ET [OCCI]SIONE IP [SIUS]. Vociferantur et constrepunt paganico more Lyvones. Armantur ex adverso Saxonum acies ad pugnandum, in

paganos precipitantes insultum, Fugiunt Lyvones. Episcopus equi ab eo male. detenti velocitate inmiscetur fugientibus. Quem duobus complec tentibus tercius, Ymaut nomine, a tergo lancea perfodit, quem et alii membratim dilacerant. Lyvones se subsequi verentes exercitum precipites fugiunt, quia videntes unam occisi Theuthonici galeam militarem, quam capiti suo Lyvo percussor imposuerat. Amisso etenim capite suo nimirum turbatur exercitus et tam equis quam navibus, tam igne quam gladio Lyvonum perdunt segetes.

7. DE BAPTISMO HOLMENSIUM ET YKESCOLENSIUM. Quo viso Lyvones, ut maioribus dampnis occurrant, pacem innovant et vocatis ad se clericis primo die in Holme circiter L baptizati sunt, sequenti die in Ykescola circiter centum convertuntur. Sacerdotes per castra suscipiunt, annone mensuram de quolibet aratro ad expensas cuiusque sacerdotis statuendo. Hiis visis mitigatur exercitus et ad reditum preparatur.

8. Lyvones igitur amisso pastore suo consilio clericorum et fratrum nuncios pro successore novo in Theutoniam mittunt. Et sic credula pacis incerte Saxonum turba revertitur. Manent clerici, manet navis una mercatorum. Iam vela ventus depulit, et ecce perfidi Lyvones de balneis consuetis egressi Dune fluminis aqua se perfundunt, dicentes: Hic iam baptismatis aquam cum ipsa christianitate removemus aqua fluminis et fidem susceptam exfestucantes post Saxones recedentes transmittimus. Illi autem, qui recesserant, in cuiusdam arboris ramo quasi caput hominis inciderant, quod Lyvones Saxonum deum putantes et ex hoc inundanciam et pestilenciam sibi immittere credentes, cocto iuxta ritum medone combibentes, captato consilio caput ab arbore ponentes ligna connectunt, quibus caput superpositum, quasi deum Saxonum, cum fide christianorum post recedentes Gothlandiam per mare transmittunt.

9. Mense peracto rupta pace fratres capiendo et male tractando in bona ipsorum grassantur, ea furtim et violenter auferendo. Equis eciam ablatis agri inculti remanent. Unde usque fere ad ducentas marcas ecclesia est dampnificata. Fugit ergo clerus ab Ykescola in Holme, nescius, cui se fortune aut loco committant.

10. Proxima quadragesima collecta Lyvonum universitas decernit, ut quicumque clericus in terra permaneat post pascha, capite puniatur. Unde tam timore mortis quam querendi pastoris causa clerici Saxoniam pergunt. Decreverunt eciam Lyvones mercatores, qui remanserant, occidere. Sed mercatores dantes munera senioribus vite sue consuluerunt.

III

LIBER TERCIUS. DE EPISCOPO ALBERTO

1. Anno Domini MCXCVIII venerabilis Albertus, Bremensis canonicus, in episcopum consecratur.

2. Post consecrationem estate proxima Gothlandiam vadit et ibidem circa quingentos viros signo crucis ad eundum in Lyvoniam signat, Inde per Daciam transiens munera regis Canuti et ducis Woldemari et Absolonis archiepiscopi recepit. Reversus in Theuthoniam in natali Domini Magdeburch plures signat, Ubi rex Philippus cum uxore coronatur. Et coram eodem rege in sentencia queritur, si bona in Lyvoniam peregrinancium sub tuicione pape ponantur, sicut eorum, qui Ierosolimam vadunt. Responsum vero est ea sub protectione apostolici comprehendi, qui peregrinacionem Lyvonie in plenariam peccaminum iniungens vie coequavit Ierosolimitane.

IV

1. DE II ANNO CONSECRATIONIS EPISCOPI ALBERTI Anno secundo sui episcopatus cum comite Conrado de Tremonia et Harberto de Yborch cum multis peregrinis in Lyvoniam vadit, habens secum in comitatu XXIII naves.

2. Post ingressum Dune se cum omnibus suis Deo commendans ad castrum Holme proficiscitur et inde procedens Ykescolam ire proponit, Sed Lyvones insultum facientes in ascensu quibusdam vulneratis Nicolaum sacerdotem cum aliis occidunt. Episcopus tamen et sui, licet cum dificultate, Ykescolam perveniunt, Quos fratres ibidem morantes a tempore primi episcopi et alii cum gaudio suscipiunt. Collecti Lyvones ibidem pacem cum Theutonicis ad tres dies faciunt, sed dolose, ut suum videlicet interim exercitum colligant,

3. Pace facta episcopus Holmam descendit et paci confidens pro sede sua et pontificalibus et aliis necessariis nuncios ad naves in Dunemunde dirigit. Qui secum assumptis, que volebant, quasi sub magna securitate pacis per viam qua descenderant revertuntur. In qua post ascensum Rumbule Lyvones pacem infringentes eos graviter impugnant et una navi retrocedente et evadente aliam capiunt et pene omnes in ea existentes occidunt et ita Holmam procedentes episcopum cum suis obsident. Ubi cum obsessi nec sibi nec equis pastum haberent, satis angustiati tandem terram fodientes in diversis foveis annonam plurimam et cibaria invenerunt. Interim Frisones cum una tantum navi venientes segetes Lyvonum incendunt et in hiis et in aliis quantum valent eos dampnificant. Lyvones hoc videntes et maius periculum metuentes pacem renovant et firmant et cum episcopo et ceteris Theutonicis ad locum Rige vadunt, ubi Asso et plures alii gratiam baptismi percipiunt,

4. DE PRIMIS OBSIDIBUS A LYVONIBUS ACCEPTIS, Episcopus tamen ob perfidiam Lyvonum paci eorum non confidens, quam iam multociens ruperant, obsides ab Annone et Caupone et senioribus terre exigit. Qui vocati a Theuthonicis ad potacionem omnes simul conveniunt et in una includuntur domo. At illi timentes, ne trans mare in Theuthoniam deducantur, pueros suos, qui de Duna et in Thoreyda fuerunt meliores, domno episcopo circiter triginta representant. Quos ille letus accipit et terram Domino committens in Theuthoniam vadit.

5. Ante exitum suum Lyvones episcopo locum civitatis demonstrant, quam et Rigam appellant, vel a Riga lacu vel quasi irriguam, cum habeat inferius irriguum ac irriguum superius. Irriguum inferius, eo quod sit aquis et pascuis irrigua vel eo quod ministratur in ea peccatoribus plenaria peccaminum remissio et per eam irriguum superius, quod est regnum celorum, per consequens ministratur; vel Riga nova fide rigata et quia per eam gentes in circuitu sacro baptismatis fonte rigantur.

6. Episcopus autem sciens Lyvonum maliciam et videns se sine auxilio peregrinorum in gente illa non posse proficere fratrem Theodericum de Thoreida pro litteris expedicionis Romam mittit. Qui negotium sibi commissum sanctissimo pape Innocencio revelans litteras ab eo prenominatas et benigne porrectas optinuit.

7. DE PORTU SEMIGALLIE PROHIBITO. Ipsius eciam rogatu et instancia idem venerandus Romane sedis antistes omnibus Semigalliam mercationis causa frequentantibus districte portum ipsorum sub anathemate prohibet. Quod factum postea mercatores ipsi collaudantes

eundem portum communi decreto sub interdicto ponunt, ut si quis illum deinceps mercationis causa ingredi presumat, rebus simul et vita privetur. Unde postea duobus annis transactis post constructionem civitatis quidam promissum eorum infringere volentes primo a mercatoribus omnibus, ne Semigalliam vadant, affectuose rogantur. Sed illi apostolici mandatum non attendentes et commune mercatorum decretum parvipendentes in navi sua Dunam descendunt. Quorum animositatem ceteri videntes admotis aliis navibus eos impugnant. Tandem duobus viris, gubernatore videlicet et ductore navis, exceptis et crudeli morte peremptis alii autem redire coguntur.

V

1. DE ANNO TERCIO. Anno tercio sue consecrationis episcopus cum peregrinis, quos habere potuit, dimissis in Theuthonia obsidibus in Lyvoniam revertitur et eadem estate in campo spatioso, iuxta quem portus navium esse poterat, Riga civitas edificatur. Eo tempore episcopus Danielem virum nobilem et Conradum de Meyiendorpe ad se colligens duobus castris Lenewarde et Ykescola inbeneficiavit,

2. Interim Curones audito adventu episcopi et civitatis inchoatione non timore belli, sed vocatione Christi pro pace facienda nuncios ad civitatem dirigunt; quam pacem consencientibus christianis, sicut mos est paganorum, sanguinis effusione stabiliunt.

3. Leththones eciam Deo sic disponente pacem querentes eodem anno Rigam veniunt, ubi statim pace facta cum christianis amicicie fedus ineunt. Qui postea hyeme subsequente cum exercitu magno Dunam descendentes Semigalliam tendunt. Sed ante ingressum terre audientes regem de Plosceke cum exercitu Leththoniam intrare Semigallis relictis cum festinatione redeunt et in ascensu iuxta Rumbulam duos piscatores episcopi invenientes quasi lupi rapaces in ipsos seviunt et vestes, quibus tegebantur, auferunt, Quo facto piscatores denudati Rigam fugiunt et iniuriam illatam exponunt. Peregrini autem rei veritatem intelligentes quosdam Leththones adhuc in Riga existentes capiunt et eo usque in vinculis detinent, donec piscatoribus ablata restituuntur.

VI

1. DE ANNO QUARTO. Anno quarto sue ordinacionis paucis peregrinis murum se pro domo Domini ponentibus civitas committitur et episcopus cum ceteris peregrinis in Theuthoniam proficiscitur.

2. Post cuius discessum frater eius Engelbertus, homo religiosus, de Novo Monasterio vocatus Rigam cum primis venit civibus et eo cooperante, qui dat verbum ewangelizantibus, Christi nomen dilatare cepit in gentibus cum fratre Theoderico de Thoreida et Alabrando et ceteris fratribus in Lyvonia sub religione viventibus.

3. DE PRIMO CONVENTU ET PREPOSITO EORUM. Cuius vitam et ordinem approbantes non longo transacto tempore fratres de conventu beate Virginis Marie in Riga ipsum in prepositum eligunt, quia ex eodem ordine de cenobio Sigebergensi bone memorie Meynardus, primus Lyvonum episcopus, est electus, qui eos sibi conformare volens conventum ipsorum in parrochia Ykescola primus instituerat. Quem tamen conventum regularium et episcopalem

sedem postea Albertus episcopus de Ykescola in Rigam tercio sue consecrationis anno transtuit et cathedram episcopalem cum tota Lyvonia beatissime Dei genitricis Marie honori deputavit. Claustrum quoque Cysterciensium monachorum in ore Dune construxit, quod claustrum Dunemunde vel Montem sancti Nicolai appellavit. Cui cenobio cooperatorem suum in ewangelio, fratrem Theodericum de Thoreyda, abbatem consecravit.

4. DE INSTITUTIONE FRATRUM MILICIE. Eodem tempore previdens idem frater Theodericus perfidiam Lyvonum et multitudini paganorum non posse resistere metuens, et ideo ad multiplicandum numerum fidelium et ad conservandam in gentibus ecclesiam fratres quosdam milicie Christi instituit, quibus domnus papa Innocencius regulam Templariorum commisit et signum in veste ferendum dedit, scilicet gladium et crucem, et sub obedientia sui episcopi esse mandavit.

5. DE PACE FACTA CUM SEMIGALLIS PRIMO. Deinde Semigalli pacem cum Lyvonibus non habentes ecclesiam Holme cum tota villa simul exurunt et castrum diu inpugnantes et capere non valentes recedunt. Deus autem volens novellam plantacionem fidei christiane propagare et ei pacem ubique firmare post eandem expedicionem Semigallos ipsos pro pace facienda Rigam mittit et ita pace more gentilium solidata eos, qui antea fuerant hostes Theuthonicorum et Lyvonum, reddit amicos.

VII

1. DE ANNO QUINTO. Anno quinto sui pontificatus a Theuthonia rediens episcopus viros nobiles, Arnoldum de Meyiendorpe, Bernardum de Sehusen, Theodericum fratrem suum, cum pluribus honestis viris et militibus secum adducit. Cum quibus prospera et adversa pro Deo pati non formidans fluctuanti pelago se committit et provinciam Listrie regni Dacie aggrediens paganos Estones de Osilia insula cum sedecim navibus invenit, qui recenter ecclesia combusta, hominibus occisis et quibusdam captivatis terram vastaverant, campanas et res ecclesie asportaverant, sicut tam Estones quam Curones pagani in regno Dacie et Suecie hactenus facere consueverant. Armantur peregrini, dampna christianorum volentes ulcisci; sed pagani cognoscentes, quod Lyvoniam pergerent, timentes valde pacem se cum Rigensibus fecisse mentiti sunt. Quibus dum crederent christiani, tunc quidem manus eorum evaserunt, sed dolis suis nulla eis lucra reportantibus in eundem laqueum, qui paratus erat eis, postea incidunt.

2. DE CONFLICTU PEREGRINORUM CUM ESTONIBUS IN MARI. Nam peregrini Deo eos ducente sani et incolumes Wysbu pervenientes a civibus et hospitibus ibidem existentibus lete suscipiuntur. Post dies aliquot Estones cum universa rapina sua adveniunt, quos peregrini velificare videntes cives et mercatores incusant, eo quod christiani nominis inimicos cum pace portum suum transire permittant. Quibus dissimulantibus et magis pacis securitate cum eis gaudere volentibus peregrini episcopum suum adeunt et cum eis pugnandi licenciam postulant. Episcopus itaque voluntatem illorum intelligens eos a proposito nititur revocare, tum quia possibile erat eos ab hostibus in pugna periclitari, tum quia ecclesia in gentibus posita, que adventum ipsorum prestolabatur, defectum illorum non poterat recuperare. Ipsi autem oportune inportune instantes et de Dei misericordia non diffidentes animum suum a proposito nolunt reflectere, nullam inter Estones paganos et Lyvones differenciam affirmantes rogant, ut peticiones eorum admittens hoc pro peccatis eorum ipsis dignetur iniungere, Videns episcopus ipsorum constanciam arbitratur magis expedire cum obedientia pugnam inire, cum melior sit

obedientia quam victima, voluntati eorum satisfaciens, ut cum paganis viriliter in prelio congrediantur, in remissionem eis peccatorum, sicut pecierant, iniungit. Unde peregrini audacter dimicare pro Christi nomine contendunt et armis suis potenter accincti naves, cum quibus erant ituri, cum festinacione preparant. Quod Estones ex adversa parte intelligentes octo piraticis ab aliis aliquantulum remotis putant se in medio peregrinos venientes posse concludere et ita naves contra se preparatas capere. Theuthonici itaque cum impetu irruentes in eos piraticas duas ad Estones ingrediuntur, in quibus sexaginta viris occisis naves campanis, indumentis sacerdotalibus et captivis christianis onerate ad civitatem Wysbu deducuntur, Terciam piraticam quidam ex Theuthonicis, fortis viribus, insiliens utraque manu gladium tenet evaginatum et hinc inde percuciens duos ac viginti ex hostibus solus prosternit. In qua cede ultra vires eo laborante velum ab octo viris, qui adhuc erant superstites, in altum ducitur et sic vento velum extollente idem homo captivus deducitur et postea navibus in unum collectis occiditur et illa navis propter paucitatem hominum igne comburitur, Hiis itaque gloriose peractis peregrini omnes pro collata sibi victoria omnipotenti Deo gracias referunt, et episcopus homines cum rebus, quas pagani Danis abstulerant, venerabili domno Andree Lundensi remisit archiepiscopo. Tune peregrini Wysbu diucius morari nolentes iter inceptum peragunt et Rigam usque perveniunt. De quorum adventu cives et alii in Riga morantes valde gavisi obviam eis exeunt et cum reliquiis tam episcopum quam omnem comitatum ipsius honorifice suscipiunt.

3. DE ITINERE CAUPONIS CUM FRATRE THEODERICO AD SUMMUM PONTIFICEM. Post hec frater Theodericus cum peregrinis, qui per annum illum in Lyvonia sub cruce sua Deo militaverant, in Theuthoniam abiens quendam Lyvonem, Cauponem nomine, qui quasi rex et senior Lyvonum de Thoreyda, secum assumit et magna parte Theuthonie perlustrata tandem eum Romam duxit et apostolico exhibet. Quem apostolicus benignissime recipiens deosculatur et de statu gencium circa Lyvoniam existencium multa perquirens pro conversione gentis Lyvonice Deo plurimum congratulatur. Transactis diebus aliquantis idem venerabilis papa Innocencius predicto Cauponi dona sua, videlicet centum aureos, porrigit et in Theuthoniam redire volenti magno caritatis affectu valedicens benedicit et bibliotecam beati Gregorii pape manu scriptam episcopo Lyvoniensi per fratrem Theodericum mittit.

4. DE EXPEDITIONE REGIS DE PLOSCEKE IN YKESCOLA. Eadem estate rex de Ploceke cum exercitu Lyvoniam ex improviso intrans castrum Ykescole impugnat. Cui Lyvones tamquam homines inermes repugnare non audentes promittunt se ei pecuniam daturos. Quam rex acceptans cessat ab obsidione. Porro Theuthonici interim quidam missi ab episcopo cum balistis et armis castrum Holme preoccupant et rege veniente et ipsum castrum expugnare volente equos quam plures vulnerant et Ruthenos propter sagittas Dunam transire non audentes fugant,

5. DE CAPTIVITATE SACERDOTUM ET PECORUM ABLATIONE A REGE WISCEWALDE CUM LETONIBUS, Rex autem de Gercike cum Lethonibus Rigam procedens in pascuis pecora civium rapit, duos sacerdotes, Iohannem de Vechte et Volchardum de Harpenstede, iuxta Montem Antiquum silvam cum peregrinis succidentem capit et Theodericum Brudegame cum civibus eum insequentem occidit.

6. DE SARCOFAGO SACERDOTIS DIVINITUS PROLONGATO. Eodem tempore quidam monachus nomine Sifridus in officio sacerdotali curam animarum sibi commissam in parrochia Holme devotissime peragit et in Dei servicio die ac nocte persistens sue bone conversationis exemplo Lyvones imbuit. Tandem post diuturnum. laborem Deo felicem terminum vite sue

imponente moritur. Cuius corpusculum more fidelium ad ecclesiam deferens cum lacrimis neophitorum turba prosequitur. Cui tamquam filii dilecto patri sarcofagum de bonis lignis facientes asserem unum ad operculum incisum de toto pede nimis brevem inveniunt. Unde commoti lignum, quo prolongari possit, diu quesitum et tandem inventum asseri predicto conformantes clavis affigere temptant, sed eum prius sarcofago superponentes et diligencius intuentes vident illum non arte humana sed divina prolongatum et optime sarcofago secundum desiderium ipsorum adaptatum. De quo facto parrochiani exhylarati lignum inutiliter a se incisum abiciunt et pastore suo fidelium more sepulto Deam benedicunt, qui in sanctis suis talia facit miracula.

VIII

1. DE VI ANNO SUI PONTIFICATUS. Anno sexto episcopus timens civitatem, que adhuc modica et infirma erat, propter paucitatem fidelium a paganorum insidiis posse periclitari rursus pro colligendis peregrinis in Theuthoniam vadit. Et iniunctum sibi pro gencium conversione negocium studiose amministrans tam in Theuthoniam eundo quam inde redeundo singulis annis frequentem et intollerabilem fere laborem sustinet.

DE BELLO CONTRA LETONES ET DE PECORIBUS REQUISI [TIS]. Post discessum eius Lethones christianorum nomen abhorrentes cum Lyvonibus de Asscrade et de Lenewarde, adhuc paganis, fere trescenti Rigam descendunt et pecora eins in pascuis comprehensa iam secundo deducere temptant. Paucis itaque viris adhuc in Riga existentibus et ubique propter vicinas silvas insidias metuentibus de civitate simul omnes exire non audent, sed viri virtutës circa viginti de civitate hostes insecuti pecora requirunt et invocato super se Dei omnipotentis aurilio militibus advenientibus de civitate iuxta Montem Antiquum cum paganis pugnam ineunt et bello invalescente eo usque preliantur, donce fessi ab invicem separantur. Lyvones eciam quidam navigio Dunam descendunt, ut in absencia populi civitatem ex altera parte ingrediantur, sed Domino suos protegente quidam de civitate obviam eis cum sagittis egrediuntur et ita in fugam vertuntur. Hiis itaque gestis Lethones cum Lyvonibus tribus tantum equis civium optentis discedunt, et Theuthonici unanimes pro conservatione hominum et recuperatione pecorum Deum collaudantes ad civitatem leti revertuntur.

2. DE REDITU PEREGRINORUM QUORUNDAM IN THEUTHO NIAM ET VARIS TRIBULATIONIBUS. Post hec hyeme instante milites quidam, Arnoldus videlicet de Meyiendorpe et Bernardus de Sehusen et ceteri quidam, qui cruce resumpta iam secundo ibi remariserant, in Theuthoniam redire volentes preparatis ad iter necessariis navim suam ante nativitatem beate virginis Marie exponunt unt et ipsis Dunam exeuntibus, Deo sic agente, cum tribus navibus peregrinos alios ante portum habent obvios. In hiis navibus frater Theodericus et Caupo a Roma redeuntes Rigenses in tristicia positos adventu suo letificant. Sed quo magis augetur leticia christianorum, eo amplius dolet et confunditur multitudo paganorum.

3. Milites siquidem predicti inter fluctus maris cum sociis suis diu laborantes tandem ad partes Estlandie perveniunt. Quorum res et vitam Estones auferre volentes cum decem pyraticis et duodecim aliis navibus in eos invehuntur. Deo autem suos conservante nichil adversitatis vel doloris ab hostibus paciuntur, immo una pyratica a christianis confracta quidam paganorum occiduntur, quidam miserabiliter in mari merguntur. Alteram pyraticam unco ferrco rapientes ad se trahere conantur, sed pagani magis in mari periclitari quam a christianis occidi volentes

de navi singillatim exiliunt et illis in periculo mortis occumbentibus alie naves recedentes evadunt. Licet enim omnipotens Deus electos suos in variis tribulationibus positos quasi aurum in igne probare non desinat, nunquam tamen omnino deserit, immo ex omnibus malis eos eripiens maiorem hostibus eorum timorem ingerit. Inde procedentes in laboribus plurimis, precipue in fame et siti et frigore multos dies deducentes, cum paucissima cibaria haberent, quinquaginta naufragos christianos in littore stantes ad se colligunt, cum quibus misericorditer agentes cibaria sua consumunt. Et cum hoc solum superesset, ut iam fame deficerent, ecce qualiter visitavit eos oriens ex alto navis enim. magna mercatorum adveniens, que cibaria tam dando eis quam vendendo refecit famelicos, et saturati sunt. Procedentes autem. gravissimum adhuc periculum incidunt. Nam tempestas eos in periculosissimos scopulos impulit, intra quos et de quibus magno timore et difficultate venientes in vigilia Andree portum Wysbu attingunt et inde comparatis victualibus Dacie finibus velificantes appropinquant. Non valentes autem propter gelu, quod immensum erat, navim littori applicare, eam in glacie relinquunt et per Daciam in Theuthoniam vadunt rebus suis secum assumptis.

IX

1. DE BELLO CUM LETONIBUS IN RODOPOYSE. Anno septimo circa quadragesimam, quando magis ille gentes suas exercere solent expeditiones, Lethones pene duo milia equitum virorum contra Estones moventur in expeditionem, et ipsis secus Dunam descendentibus et civitatem transeuntibus quidam ex ipsis, homo dives et prepotens Suelgate nomine, cum suis sodalibus ad civitatem divertit. Cui inter alios viros de civitate cum pace obviam exeuntes unus ex civibus, nomine Martinus, ad bibendum potum mellitum prebet. Quo exhausto exercitum preeuntem insequitur et socios suos sic alloquitur: Nonne Theuthonicorum nobis medonem prebencium trepidancium manus vidistis? Adventum quidem nostrum fama volante cognoverant et ideo timore concussi adhuc trepidare non cessant. Ad presens ergo excidium civitatis ipsius differemus. Sed si partes, ad quas tendimus, vicerimus, hominibus captis et occisis villam ipsorum evertemus. Vix enim pulvis civitatis illius pugillo populi nostri sufficiet.

2. Igitur post dies non multos, audiens quidam Viesthardus nomine, maior natu de Semigallia, Lethonum expeditionem, cum festinatione Rigam veniens Theuthonicos premonendo alloquitur, eo quod hostes fines ipsorum pacifice transeant, ne forte, postquam situm loci didicerint, in futuro civitatem cum habitatoribus suis destruant. Illis autem ante reditum episcopi propter suorum paucitatem preliari nolentibus idem Vesthardus, tamquam vir bellicorus, ad pugnam animos corum incitat et promittens se illis in auxilium Semigallos quam plures adducturum rogat sibi saltem aliquos dari viros doctos in bello, qui exercitum sciant regere et ad pugnam informare. Theuthonici audientes constanciam animi ipsius dicunt, se peticioni sue velle acquiescere, ita dumtaxat, si de quolibet castro Semigallie obsidem unum, quem elegerint, eis exhibere voluerit. Qui de tali responso plurimum exhylaratus ad suos cum gaudio revertitur et assumptis secum obsidibus denominatis exercitum colligit sufficientem. Quo adducto obsides traduntur in manus Theutonicorum, et ita satis se exhibentes fideles illorum auxilium simul et amiciciam consequuntur. Nam familia episcopi cum fratribus milicie Christi et Conradus miles de Ykescola cum paucis aliis, qui abesse poterant, ad exercitum foras exeunt et in loco eminenti cum Semigallis reditum Lethonum exspectant.

3. Mittuntur interim nuncii in Thoreydam ydonei, qui diligenter hostium viam explorare valeant et renunciare. Predictus eciam dux Semigallorum de singulis domibus in Riga victualia

colligens exercitui, qui de longinquo venerat, transportat. Redeuntes autem Lethones cum infinitis captivis et inenarrabili preda pecorum et equorum, post introitum Lyvonie paulatim de villa ad villam gradientes tandem ad castrum Cauponis declinant et paci Lyvonum confidentes apud eos nocte quiescunt. Legati autem Theutonicorum et Semigallorum discrete reditum eorum percunctati exercitui suo denunciant, et altera die nuncii alii priores insequuntur, qui Lethones per compendia Rodenpoys versus Ykescola testantur velle redire. Hiis rumoribus auditis universa malewa letificatur et certatim quivis ad pugnam preparatur, Venientes ergo Lethones cum tota preda et captivis, qui millenarium superabant numerum, exercitum suum dividunt in duas partes et in medio captivos constituentes propter nimiam profunditatem nivis per unam tantum viam singuli gradiuntur; sed mox ut primi eorum vestigia precedencium reperiunt, insidias suspicantes subsistunt, et ita postremi cum captivis primos insequuti in unum colliguntur cuneum. Quorum multitudinem Semigalli videntes plures ex ipsis tremefacti et pugnare non audentes ad tutiora loca divertere querunt. Considerantes hoc quidam ex Theuthonicis Conradum aggrediuntur militem instanter deprecantes, ut ipsi primum cum hostibus Christi prelium ineant, asserentes magis expedire gloriose mortem pro Christo subire quam ad confusionem gentis sue inhoneste fugam inire. Qui more militari tam in equo quam in se ipso bene loricatus cum paucis qui aderant Theutonicis Lethones aggreditur. Sed ipsi nitorem armorum istorum abhorrentes, Deo eciam timorem immittente, ab eis ex omni parte declinant. Cernens itaque Semigallorum dux Lethones de Dei misericordia ita conterritos, hortatur suos viriliter cum illis prelium committere, et ita exercitu in unum collecto Lethones undique per viam tamquam oves disperguntur et ex eis circiter mille ducenti in ore gladii prosternuntur.

4. DE FUGA LETONUM ET MORTE SUELGATEN. Inveniens autem quidam de familia episcopi, Theodericus Scilling, Suellegaten, qui se civitatem Dei subversurum dixerat, quem in vehiculo sedentem videns lancea latera sua perforat. Hunc Semigallorum quidam palpitare videntes, caput eius abscidunt et vehiculis suis imponentes, que solis capitibus Lethonum oneraverant, in Semigalliam ducunt. Plures eciam de Estonibus captivis, cum et ipsi essent inimicicias exercentes omni tempore contra christiani nominis cultores, in gladio occiderunt, et ita christiani, Semigallis paganis adiunctis, de utroque populo, Lethonum videlicet et Estonum, plenam optinent victoriam. Igitur post cedem Lethonum et Estonum Theuthonici cum Semigallis ad spolia gentis utriusque revertuntur et infinitam predam, tam in equis et pecoribus, tam in vestibus quam in armis accipientes, per Dei gratiam conservati, omnes ad propria redeunt sani et incolumes et Deum benedicentes.

5. Referebat sacerdos quidam, qui tunc in Lethonia captivus tenebatur, Iohannes nomine, quod mulieres quinquaginta se ob mortem virorum suspendio interfecerunt, nimirum cum credant se cum illis mox in alia vita victuros.

6. Signatis itaque per Theuthoniam multis hominibus signo crucis tandem domnus episcopus ad naves revertitur, assumpto secum fratre suo Rothmaro de claustro Sygeberge, eo quod auctoritate. piissimi apostolici Innocencii ei donatum est, de quolibet cenobio unum de fratribus, quem vellet, socium laboris assumere. Igitur eo ducente, qui imperas ventis et mari", Rigam perventum est, ubi domnus episcopus a suis diu desideratus cum omni milicia peregrinorum honorifice susceptus est. Erat in eadem acie dux belli comes Henricus de Stumpenhusen, Cono de Ysenborch, nobilis homo, et alii tam de Westfalia quam de Saxonia milites quam plures cum ceteris peregrinis.

7. Volens ergo episcopus tantorum virorum consilio et auxilio vinee Domini palmites extendere in gentibus, post introitum Dune claustrum Cysterciensium monachorum locaverunt in Dunemunde, quibus episcopus abbatem prefecit antedictum fratrem Theodericum, mittitque ad castrum Ykescola Conradum de Meyendorpe, cui lam dudum castrum idem in beneficio contulerat, ut eo nunciante Lyvones episcopum cum peregrinis quibusdam venturum presciant et ipsum tamquam filii patrem benigne recipiant, cum quo disponant de pace in se habenda et fide ulterius propaganda,

8. Lyvones ergo, qui post acceptam baptismi graciam a primo Lyvonum antistite Meynardo fidem Christi irridebant et hanc in Duna se lavantes delere sepe dicebant, audito episcopi ascensu cum ceteris adhuc paganis ad fugam se preparant et mane facto Conradum prenominatum ad se vocantes occulte moliuntur occidere. Sed quia sagitta previsa minus ferit, ipse dolum sciens eorum, armis suis indutus cum comitibus suis ad eos foras egreditur et illis cum eo multa confabulantibus ad singula queque competenter respondet. Interim quidam episcopum precedentes superveniunt. Unde magis obstupefacti Lyvones et in fugam versi beneficio navicularum se committunt et versus castrum Leneworde cum uxoribus suis et parvulis ascendunt, satis hoc evidenter demonstrantes, quod baptismum iam pridem susceptum minus curaverunt. Peregrini itaque dum vident neophitos Lyvones in tantum exhorbitare et tamquam canes ad vomitum rediret, eo quod fidei olim suscepte obliviscantur, zelo Dei accensi insequuntur fugientes. Sed mox ut conspiciunt eos se aliis paganis de Leneworde coniunxisse relictisque villis silvarum latebras cum ipsis adiisse, urbem ipsorum adhibito igne succendunt.

9. DE EXPEDITIONE APUD DUNAM. Deinde peregrinis ascendentibus secus Dunam, ecce Lyvones de castro Ascrath rem gestam audientes divertunt ad tutiora loca nemoris. Unde factum est, ut eorum castro per Dei gratiam exusto pacem cum Theuthonicis datis obsidibus ineunt et in brevi se Rigam venire et ibi baptizari promittunt, Quod et postea ita factum est.

10. DE PACE FACTA CUM REGE WETSEKE, Audiens autem rex Vetseke de Kukonoyse peregrinos Latinos in tam valida manu venisse et sibi vicinos esse, ad tria videlicet miliaria, per internuncium petit ab episcopo ducatum et ita navigio descendens ad ipsum, cum datis hinc inde dextris salutassent se, pacem ibidem firmam cum Theuthonicis fecit, que tamen postea parvo tempore stetit. Pace facta valedicens omnibus letus ad sua reversus est.

11. Hiis itaque peractis redeuntes peregrini per viam suam in ne more densissimo iuxta viam Memeculle a duarum urbium Lyvonibus, Lenowarde et Ykescole, gravissime infestantur. Quorum insultum sine magno periculo evadentes Ykescolam perveniunt. Quam urbem firmissimam cernentes et vacuam, quondam ab episcopo Meynardo edificatam, visum est eis indignos esse tanta munitione Lyvones, qui licet baptizati, tamen adhuc rebelles erant et increduli. Et ob hanc causam mittentes Conradum in beneficii eiusdem possessionem, el ex peregrinis relinquunt quosdam viros fortes et ad bella paratos. In frumento eciam ei providere volentes in preparationem pugne segetes Lyvonum iam maturas quidam falcibus, quidam gladiis succidunt, Non valentes autem frequentes paganorum insidias sustinere armati omnes metunt segetes, et impleta urbe usque ad summum domnus episcopus de tali facto exhylaratus ibi remanentes Deo commendat et cum reliqua peregrinorum milicia Rigam descendit.

12. DE MARTYRIO XVII IN YKESCOLA. Post hec brevi transacto tempore peregrini de castro Ykescola exeuntes pro colligenda annona, a Lyvonibus insidiantibus in silvis occisi sunt decem et septem ex eis, quorum quosdam diis suis immolantes crudeli martirio interfecerunt. Nec tamen hec et hiis similia facientes inimici a predicatione verbi Dei christianorum obstruunt

voces, verum eciam per incrementa fidei conspiciunt eos cottidie tam preliando quam predicando magis ac magis invalescere.

13. Hinc est, quod animo consternati Lyvones omnes circa Dunam habitantes et mente confuzit datis obsidibus domno episcopo et ceteris Theuthonicis reconciliantur et, qui adhuc ex ipsis pagani fuerunt, baptizari se pollicentur. Sic ergo Christo vocante gena indomita et paganorum ritibus nimis dedita pedetentim ad iugum Domini ducitur et relictis gentilitatis sue tenebris, veram lucem, qui Christus est, per fidem intuetur, Unde non immerito villas et agros et que iuste amisisse videbantur rehabere permittuntur et exstructa iuxta villam Ykescolam munitione penitus excluduntur et tam illi de Lenowarde quam de Ykescola ad propria revertuntur.

14. DE LUDO MAGNO, QUI FUIT IN RIGA. Eadem hyeme factus ent ludus prophetarum ordinatissimus in media Riga, ut fidei christiane rudimenta gentilitas fide disceret oculata. Cuius ludi materia tam neophitis quam paganis, qui aderant, per interpretem diligentissime exponebatur. Ubi autem armati Gedeonis cum Phylisteis pugnabant, pagani timentes occidi fugere ceperunt, sed caute sunt revocati. Sic ergo od modicum tempur, siluit ecclesia in pare quiescendo. Iste autem ludus quasi preludium et presagium erst futurorum. Nam in eodem ludo erant bolla, utpote David, Gedeonis, Herodis; erat et doctrina Veteris et Novi Testamenti, quia nimirum per bella plurima que sequuntur convertonda erat gentilitas, et per doctrinam Veteris as Novi Testamenti erat instruenda, qualiter ad verum pacificum et ad vitam perveniat eternam.

X

1. DE ANNO OCTAVO. Anno octavo inchoante volens domnus episcopus adipisci amiciciam et familiaritatem Woldemari regia de Ploceke, quam antecessori suo Meynardo eshibuerat episcopo, dextrarium cum armatura per abbatem Theodericum ei transmisit. Quin latrunculis Lethonum in via spoliatus, ipse cum suis omnia, que secum tulerant, amittunt, corpore tamen sani et incolumes ad regem urque perveniunt. Ingressi antem civitatem deprehendunt ihi quosdam Lyvones clam a senioribus Lyvonum missos, qui, ut animum regis inclinarent ad expellendos Theathonicos de Lyvonia, quocunque dolose fingere nut dictare poterant contra episcopum et suos, blonda uc fraudulenta locutione proponebant. Nam episcopum cum sequacibus suis nimis eis importunum, et intollerabile ingum. Fidei asserebant, Quorum verbis rex adamdum credulus mandat omnibus in regno sus constitutis ad expeditionem quantocius pre parari, ut cum impetu fluminis Dune navigio vel multiplici lignorum sirve connexo, superpositis ad viam necessariis, ligam cicius et commodius descendant. Hinc est quod Theuthonicarum legati, Lyvonum suggestionem et regis intentionem ignorantes, conspectui regis presentari iubentur, ubi coram Lyvonibus, que adventus corum couma nit, interrogantur. Qui dum se pacis et amicicie causa venitse profitentur, Lyvones e contrario nec sos pacem velle nec servare proclamant, Quorum os maledictione et ameritudine plenum est, magis ad bella struenda, quam ad pacem faciendam cor et animum regis incitant.

2. Rex autem timens occulta consilia sua in lucem prodire Theuthonicos a se removens in hospicio manere procipit. Sed abbate causam perpendente quidam de consilinriis regis muneribus et pecunia corrumpitur et absque mora consilium diu celatum proditur. Quo comperio mira Dei providencia abbati obviat ves tendens ad meliora. Nam pauperem quendam de castro Holme Des donante ibidem esse cumperit, quem dimidia maren argenti conducens et scripto suo promovens damno Higensi episcopo et toti fidelium. ecclesie, que audierat et

viderat, per eundem intimavit. Unde factum est, ut plures ex peregrinis, qui ne ad transfretandum mare prepáraverant, resumpta cruce redirent. Ipse eciam episcopus, qui cum aliis abire paratus erat, velificantibus valedicens Rigam ad suos reversus est.

3. Rex itaque factum abbatis intelligens accersito co requirit, si nuncium Rigam miserit; sed ille faciem regis non formidans litteras se per quendam minisse confessus est. Porro legati serum missi a Riga metuentes severitatem regis supplicabont et persuadebant abbati negare, quod dixerat. Sed ipse sciens, quod semel emissum volat irrevocabile verbum, quod vegi confessus erat, nulla ratione negabat. Intelligens igitur rex se nichil hoc modo proficere, eo quod proditum esset consilium, ubi belli violencia deficit, dolum machinatur, quia in columbe specie blanda loquens verba sic ledit ut anguis in herba. Remittitur abbas et cum eo Ruthenorum legati cum verbis pacificis dirigantur in dolo, ut auditis hinc inde partibus inter Lyvones et episcopum, quod iustum esset, decernerent et hoc ratum haberent. Dimissi a rege (de) Kukenoys cattro Ruthenico, quod celerrime attingunt, dysconum quendam Stephanum, alium tamen quam prothomartirem, Rigam cum abbate mittunt, episcopum in occursum vorani nunciorum, diem colloquil torcio kalendas Iunii, locum luxta fluviam Wogene prefigunt.

DE CONSPIRATIONE BUTHENORUM CUM LYVONIBUS ET LETTIS CONTRA RIGENSES. Reliqui per terram usquequaque diffusi Lyvones ac Lethos, qui proprie dicuntur Lethigalli, cum armis suis vocant. Veniunt Lyvones, non tantum voluntati regis obedire, quantum perdicioni fidelium Christi deservire parati. Lethi vet Letthigalli, adhuc pagani, vitam christianorum approbantes et eorum salutem affectantes, ad colloquium perfidie non veniunt, muneribus eciam sibi a Ruthenis oblatis flecti nequeunt ad malum Theuthonicis inferendum.

4. Vocatus ad idem colloquium domnus episcopus a legato regis, Stephano predicto, tale de consilio suorum dedit responsum: “Communem”, inquit, omnium terrarum consuetudinem esse constat nuncios a dominis suis destinatos eum adire vel requirere, ad quem mittuntur, et numquam principem, quantumcunque humilem vel affabilem in occursum nunciorum de suis munitionibus egredi. Decet, inquam, tales et talium nuncios nos in civitate nostra invenire, ubi a nobis et a nostris recipi possint honestius et tractari. Veniant ergo nichil metuentes, sed honeste tractandi. Appropinquante die statuto Lyvones armati ad colloquium juxta fluvium Wegene colliguntur. Seniores eciam de castro Holme, tocius mali exquisitores, ad eos navigio ascendunt et applicantes ad costrum Ykescolae ipsos secum vocant.

5. DE MARTYRIO DUORUM NEOPHITORUM KYRIANI ET LAYANI. Considerata igitur astucia Lyvonum Theuthonici ascendere recusant. Sed illi ceptam viam peragunt et cum suis compatriotis de christianorum ciectione tractant. Interim Ykescolenses duo ex neophitis, videlicet Kyrianas et Layanus, Conrudum, qui castro prefult, rogant quam intime, quatinus eos congregacioni Lyconum interesse permittat, ut visa eorum pertinacia remunciare possint, quas contra fideles Christi machinationes pretendant, presumentes autem de cognatorum et amicorum numerositate terribilem inimicorum aciem adire non formidant. Quod stultum valde Conradus animadvertens propter multimodam Lyvonum maliciam fieri dissuasit; sed encum instanti prece victus eos abire permisit. Ingressi placitum statim capiuntur a senioribus, fidem Christi postponere et Thenthonicis renunciare coguntur. Qui constantes in dilectione Dei fidem susceptam se omni caritatis affectu amplectere profitentur, ab amore et aucietate christianorum testantur nulla eos posse genera tormentorum separare.

DE NIMIA CRUDELITATE AMICORUM IPSOBUM, QUAM EXERCUERUNT IN EOS. Unde nimirum eciam cognatorum tantum in eos excrevit odium, ut exinde maius esset odium

amore, quo ante dilexerant. Hinc est quod communi Lyvonum conspiratione ligatis circa pedes funibus per medium sunt dilacerati. Quos acerrimis penis afficientes, viscera extrahantes crura et brachia dilaceraverunt. De quibus non est dubium quin cum sanctis martiribus pro tanto martyrio vitam receperint éternam.

6. Horum corpora in Ykescolensi quiescunt ecclesia atque apposita sunt tumbe episcoporum Meynardi et Bertoldi, quorum primus confessor, secundus martyr, ut supra dictum est, ab eisdem Lyvonibus occisus occubuit. Hoc facto Lyvones in eo convenerunt, ut de omnibus partibus terre sue in unum collecti castrum Holme, quod civitati propius erat, preoccupent et ex eo Rigenses, qui tunc paucissimi erant, expugnent et Rigam destruant. Completa ergo conspiratione et confederatione immemores sacramentorum susceptorum, obliti baptismi, fide abiecta, pacem non curantes, bellum innovantes, omnis multitude corum Holme descendit et convocantes ad se quosdam de Lethonibus, tam Thoredenses quam Veinalenses, omnes in unum conveniunt.

7. DE MARTYRIO SACERDOTIS ET SOCIORUM EIUS. Porro Holmenses, quorum pedes veloces ad effundendum sanguinem, capto Johanne sacerdote suo, caput eius abscidunt, corpus reliquum membratim dividunt. Ipse enim natus de Wironia et a paganis in puericia captus, per venerabilem Meynardum episcopum a captivitate absolutus et, ut sacris litteris imbueretur, ab eodem est in claustro Segeberge locatus. Ubi cum plurimam profecisset, cum episcopo Alberto in Lyvoniam profectus est et sacros adeptus ordines in Holmensi parrochia multos convertit ab ydolorum cultura. Qui tandem post laboris sui cursum cum duobus aliis, Gerhardo et Hermanno, pro fidei confessione, sicut prediximus, per martyrii palmam ad vitam pervenit eternam. Cuius corpus et ossa, postes ab aliis sacerdotibus collecta, in Riga in ecclesia beate Marie domnus episcopus cum suo capitulo devote sepelivit.

8. DE COLLECTIONE LYVONUM ET LETTONUM IN HOLME CONTRA RIGENSES. Hiin itaque peractis confluente ad castrum Holme Lyvonum caterva noophiti quidam, Lembewalde cum quibusdam aliis, fideles se exhibentes dimissis uxoribus et familia in Holme Rigam descendunt, suggerentes domno episcopo, qualiter se defendat ab inimicis, optantes magis christianorum quam suorum perfidorum Lyvonum profectum. Erant autem Lyvones simul omnes in castro diebus aliquot, et quidam ex eis exeuntes versus Rigam tam equos in pascuis spoliantes, tam homines quos invenerunt occidentes fecerunt omnia mala, que potuerunt. Tandem tedio affecti quidam ad propria redierunt, quidam adhuc remanserunt. Audiens autem episcopus quorundam recessum convocatis fratribus milicie et civibus et peregrinis requirit, quo facto opus sit contra Lyvonum machinacionem. Visum est omnibus expedire, ut invocato super se Dei omnipotentis auxilio novellam ecclesiam ipsi committentes cum illis in Holme bellum ineant, et melius esse pro fide Christi omnes mori, quam singulos cottidie cruciari. Commissa igitur civitate domno episcopo, qui validiores erant Theuthonici cum suis Lyvonibus Rigensibus armati, balistariis et aliis sagittariis assumptis navigio ascendentes ad castrum Holme applicant quintadecima die post pentecosten. Quibus previsis hostes litus et accessum defendere volentes audacter occurrunt. Stupent primo nimis christiani propter eorum paucitatem, nam centum tantum erant et quinquaginta hostiumque erat numerosa multitudo. Sed cantu suo Dei implorantes clemenciam et vires animorum resumentes tandem exiliunt. Quorum primus Arnoldus frater milicie, deinde servi episcopi ex alia nave cum ceteris, omnes simul hostibus appropinquant. Et primo in aqua pugnantes littorea saza lanceasque hostium super se crudeliter volantes excipiunt, tandem litus apprehendunt fortissime pugnantes.

DE FUGA LYVONUM HOLMENSIUM ET INTERFECTIONE EORUM. Vulneratur passim hostium nuditas a sagitta volante, confligunt acies, vincuntur hostes et terga dantes alii occiduntur, alii transnatare volentes submerguntur, alii castro recipiuntur, alii transnatando evadentes aculeos vermium non efugerunt. Erat autem inter eos Ako, princeps ac senior corum, qui tocius traditionis et omnium malorum exstiterat auctor, qui regem de Ploceke concitaverat ad bellandum contra Rigenses, qui Lethones collegerat, qui Thoredenses et totam Lyvoniam convocaverat contra nomen christianum, Inter alios iste quoque occiditur, occisi caput cum fama victorie episcopo mittitur. Erat autem episcopus cum clericis suis celebrata missa in Dei timore et orationibus exspectans, si forte quispiam appareret referens ei quid ageretur. Erat autem cor eius fiduciam habens in Domino. Et subito apparuit navicula de longe, in qua quidam de fratribus milicie rediens cum vulneratis quibusdam caput Akonis pro signo victorie episcopo presentat. At ille gaudens cum universis, qui domi remanserant, gratias agit Deo, qui per paucos operatus est salutem ecclesie sue.

9. DE EXPUGNATIONE CASTRI. Applicant interim christiani menia suburbana, muro castri ignem imponunt, patherellis ignem et lapides in castrum proiciunt, balistarii quam plures in munitione vulnerant, unde post occisionem tantorum iam se defendere non sufficiunt. Igitur Thoredenses pacem petunt, que datur eis, et permittuntur exire de castro pene omnes vulnerati. Holmenses autem, auctores malorum, se tradere compelluntur, quorum seniores Rigam deducuntur et in vincula, prout meruerunt, proiciuntur. Ceteris autem, qui in castro erant, propter sacramentum baptismi, quod iam dudum receperunt, parcitur et nichil mali deinceps infertur. Omnia autem, que hactenus in Lyvonia gloriose contigerunt, non in fortitudine multorum, sed per paucos Deus semper operatus est. Unde pro multiplici victoria benedictus sit Deus in secula, Erat eodem tempore fames et penuria cibariorum in civitate magna, et misit Deus sacerdotem quendam episcopi Danielem de Gothlandia cum duobus coggonibus, impletis usque ad summum annona et similibus, que necessaria erant. Eundem Danielem misit episcopus cum dapifero suo Gevehardo et balistariis et aliis quibusdam preoccupare castrum predictum Holme, ne deinceps Lyvones Ruthenos et paganos convocantes opponere se valeant christianis. Seniores autem Holmensium episcopus postea secum ducit in Theuthoniam, ut videntes et audientes ibidem christianorum consuetudines discant fieri fideles, qui semper fuerunt infideles.

10. DE EXPEDITIONE IN THOREYDAM CUM SEMIGALLIS. Post hec Rigenses, memores omnium iniuriarum a Thoredensibus adhue paganis sibi illatarum et pacis sepius interrupte, convocant Semigallos sibi in adiutorium in ultionem inimicorum. Erant autem Semigalli inimicicias semper habentes contra Thoredenses et gavisi sunt et venerunt cum Vestardo principe suo circiter tria milia virorum in obviam Rigensibus. Et procedentes ad Coiwam dividunt exercitum suum et tradunt Cauponi, qui dux erat exercitus, medietatem. Nam ipse postquam a Roma rediit, fidelissimus factus est et propter persecutionem Lyvonum in civitatem fugerat et mansit cum christianis fere per totum annum illum. Aliam medietatem exercitus dirigunt in partem Dobrelis.

DE INCENSIONE CASTRI THOREDENSIS. Et ibat Caupo cum exercitu suo versus castrum suum, in quo erant cognati et amici sui adhuc pagani. Et videntes exercitum subito et ex improviso venientem, timore concussi, pauci ex eis munitionem ad defendendum castrum ascendunt. Plures ex eis in posteriori parte castri transsilientes fugam in silvas et montana querunt. Christiani autem viriliter impugnantes castrum tandem desuper fortiter ascendunt et vietis hostibus et a munitione repulsis castro recipiuntur et persequentes paganos undique per

castrum ex eis fere quinquaginta occidunt; ceteri per fugam evaserunt. Tollentes itaque res omnes et spolia multa castrum incendunt. Videntes autem Lyvones, qui erant ex alia parte Coiwe in castro Dabrelis, fumum et ignem ascendentem et castrum ardere Cauponis, timentes, ne sibi et castro suo similia contingant, colligunt omnes in castrum et ascendentes in munitionem inimicos suos exspectant et venientibus fortissime resistunt. Confortabat enim eos Dabrelus, senior ipsorum, et animabat, quemadmodum Philistei quondam dicentes: Confortamini, Philistiim,

et pugnate, ne serviatia Hebreis. Peregrini vero cum Semigallis impugnantes castrum per totam diem eapere non valuerunt et quidam ex eis ex alia parte cum paucis ascendere temptantes quinque ex suis a Lyvonibus occisos ibidem reliquerunt. Videntes autem castrum forte et inexpugnabile diverterunt ab co et spoliantes terram reversi sunt ad suos et aput Rigam residentes in reditu cum totali exercitu diviserunt spolia universa, que attulerant. Episcopus autem gratias agens Deo remisit Semigallos cum gaudio in terram suam.

11. Post hec episcopus renovata pace cum Lyvonibus transire proponit in Theuthoniam et veniens in mare per totam noctem gravissimam passas tempestatem sequenti die repulsus est in Dunam. Ipse autem aliquot quiescens diebus, inter exitus matutini et vespere delectatus, quem nec sol adurit prosperitatis per diem, neque luna contristas adversitatis per noctem, ut a Dei negocio non desistat terra marique, Deo gratias agens iterum se eisdem committit periculis, que evasevat, et Deo tranquillitatem donante pro colligendis peregrinis, qui ecclesiam defendant, in Alimaniam vadit.

12. Post hec ex Lyvonibus quidam in perfidia sua durantes, regi de Ploceke per nuocios suos vulnera et dampna suorum significantes in auxilium sibi contra Theuthonicos venire cum rogant, presertim cum panci in Riga remanserint et alii cum episcopo recesserint. Qui acquiescens consiliis et vocationi eorum, convocato exercitu de omnibus locis regni sui nec non et aliorum regum vicinorum et amicorum suorum, Dunam navigio descendit in fortitudine magan. Et applicantes Ykescolam quidam ex eis graviter vulnerati sunt a balistariis Comradi militis. Unde sentientes Theuthonicos in castro descenderunt et castrum Holme subito adeuntes undique in circuitu obsederunt. Lyvones vero nescientes exercitum, quidam in silvis effugientes evaserunt, quidam ad castrum cum Thenthonicis in unum se collegerunt et clauso castro balistarii munitionem ascendentes plurimos vulneraverunt.

DE OBSIDIONE CASTRI HOLMENSIS A REGE WOLDEMARO DE PLOSCEKE. Rutheni quoque, qui artem balistariam ignorant, arcuum consuetudinem habentes, plures in munitione ledentes per dies multos pugnaverunt et maximam struem lignorum comportantes munitionem incendere laborabant. Sed frustrato labore multi eorum a balistariis in lignorum collectione vulnerati ceciderunt. Misit itaque rex nuncios Thoredensibus et Lethhis et paganis in circuitu, ut omnes contra Rigenses venirent in expeditionem. Unde gavisi Thoredentes statim conveniunt ad regum, et venientibus hoc solum opus iniungitur, ut ligna comportantes castrum incendant; in qua lignorum comportacione plurima corum multitude, utpote inermium, a sagitta suhito volante interfecta est. Lethhi vero nec venerunt nec nuncios miserunt. Fecerunt eciam Rutheni machinam parvam move Theuthonicorum; sed nescientes artem lapides lactandi plures ex su post tergum iactantes leserunt. Theuthoniti vero cum pauci essent, utpote viginti tantum, timentes tradi a Lyvinibus, qui multi erant cum eis in castro, nocte ac die armati in munitione desuper sederunt, custodientes arcem tam de amicis infra quam extra de inimicis. Lyvones autem omne consilium querebaut cottidie cum rege, qualiter cos dolo tenerent et tradorent in

manus Ruthenorum. Et niai breviati fuissent dies belli, tam Rigenses quam Holmenses propter suorum pancitatem vis se defendere potuissent. Nam in Riga erant timores intus propter civitatem nondum firmiter edificatam et timores extra propter suorum in Holme obsessionem. Redierunt eciam quidam Lyvanes exploratores ad sugem, dicentes omnem campum et omnes vias eirra Bigam repletas esse ferreis claviculis tridentibus, ostendentes quondam ex eis regi dicentes, quia tans poden main latera propria et posteriora sus graviter undique talibus hamis [essent] perforata. Quo timore rex perterritus Rigam cum exercitu suo non descendit, et liberavit Dominus sperantes in se. Nam Thoredenses visis navibus in mari nunciaverunt regi. At ille, cum post undecim dierum castri inpugnationem nichil proficeret, sed magis per suorum interfectionem deficeret, simul et adventum Theuthonicorum timeret, surrexit cum omni exercitu suo et vulneratis et interfectis suis et reversus est navigio in terram suam. Gevehardus autem, dapifer episcopi, de parvo vulnere postea mortuus est. Ceteri autem sani et incolumes Deum benedicebant, qui ecclesiam suam in manu paucorum eciam hac vice defendit ab inimicis.

13. DE EXPEDITIONE PRIMA REGIS DANORUM IN OSILIAM. Eodem tempore rex Danorum cum exercitu magno, quem iam tribus annis collegerat, resedit in Osilia, simul et archiepiscopus Lundensis Andreas, qui in remissionem peccatorum infinitam multitudinem signo crucis signaverat ad faciendam vindictam in nationibus et ad subiugandas gentes fidei christiane. Edificato autem castro, cum non invenirentur, qui contra insultus paganorum ibidem manere auderent, incenso castro rex cum omni exercitu rediit in terram suam. Archiepiscopus vero Lundensis predictus et episcopus Nicolaus cum duabus navibus cibariis onustis et omnis familia ipsorum Rigam divertunt et in Dunam venientes a preposito beate Marie Eggelberto et omni conventu suo devotissime suscipiuntur. Et audita tanta ecclesie tribulatione et eiusdem iterum a Deo liberatione congra tulantur et congaudent, benedicentes Deum, eo quod in medio gencium in tanta paucitate virorum suam semper conservat ecclesiam, Post hec archiepiscopus convocando omnem clerum doctrinam proponit theologicam et legendo in psalterio totam hyemem in divina contemplatione deducunt.

Et merito post bella doctrina sequitur theologica, cum eodem tempore post bella omnia predicta conversa et baptizata sit tota Lyvonia. Nam post discessum regis Ruthenorum cum exercitu suo invasit timor Dei Lyvones per universam Lyvoniam et mittentes nuncios Rigam tam Thoredenses quam Dunenses rogant ea, que pacis sunt Proponuntur itaque Thoredensibus omnia mala, que infra pacem sepe fecerant pace interrupta. Nam multis occisis Cauponi, qui relictis eis cum christianis semper pugnabat, multa mala intulerant, bona eiusdem omnia incendio vastaverant, agros abstulerant, arbores apum confregerant, insuper plurima bella contra Rigenses moverant. Unde pax eis denegatur; et merito, qui filii pacis esse nescientes, pacem omni tempore disturbabant.

DE BAPTISMO LYVONUM. At illi magis instantes rogant baptizari, sacerdotes recipere et eis per omnia obedire promittunt. Lenewardenses eciam pro reconciliatione domino Danieli, qui idem castrum iam dudum in beneficio acceperat, quolibet anno de aratro dimidium talentum siliginis promittunt, quod hactenus usque in hodiernum diem persolverunt.

14. DE OBSIDIBUS DATIS ET DE MISSIONE PREDICATORUM PER UNIVERSAM LYVONIAM. Prepositus itaque Rigensis iuxta verbum archiepiscopi acceptis obsidibus meliorum pueris de tota Lyvonia sacerdotes mittit ad predicationem. Quorum primus Alebrandus in Thoreidam proficiscens, verbum predicationis et baptismi sacramentum

ministrat et parrochias distinguens in Cubbesele ecclesiam edificat. Alexander sacerdos in Metsepole dirigitur, qui baptizata provincia illa tota cum eis ibidem habitare et semen ewangelii seminare et ecclesiam incipit edificare. Daniel sacerdos, qui in castri Holmensis obsidione quodammodo examinatus fuernt, Lenewardensibus mittitur. Quem illi benigne suscipientes, baptizantur ab eo. Cumque in villam, que dicitur Sydegunde, procederet, statim populum ad audiendum verbum Dei convocat. Veniens autem Lyvo quidam de latibulis silvarum nocte visionemque suam referens dicit ei: “Vidi”, inquit, deum Lyvenum, qui nobis futura predixit. Erat enim ymago excrescens ex arbore a pectore et sursum et dixit michi Leththonum exercitum cras venturum, et timore illius exercitus convenire non audemus. Sacerdos autem intelligens demonis hanc esse illusionem, eo quod via illo autumpnali tempore non esset, per quam Leththones venire possent, in orationibus suis existens Deo se commendabat. Mane facio, cum huius modi nichil audirent vel perciperent, quod fantasma Lyvani predixerat, colliguntur omnes in unum, quinas sacerdos ydolatriam detestans, huiusmodi fantasmata demonum illusionem affirmans tandem unum Deum, creatorem omnium, unam fidem, unum baptisma esse predicat et hiis et aliis similibus ad culturam unius Dei eos invitat. Hiis auditis diabolo et operibus eius abrenunciant et in Deum credere se promittunt et baptizantur, quotquot predestinati erant a Deo. Baptizatis eciam Reminensibus procedit ad Ascnadenses Quibus recipientibus verbum Dei cum gaudio et celebratis, ibidiem sacramentis baptismi reversus est Thoreidam et veniens od castrum Dabrelis benigne receptus est ab eis, Et suminato ibidens verbi Dei semine convertit et baptizavit eos et relicta provincia illa processit ad Wendos.

DE BAPTISMO WENDORUM. Wendi autem humiles erant eo tempore et pauperes utpote a Winda repulsi, qui est fluvius Curonie, et habitantes in Monte Antiquo, iuxta quem Riga civitas nunv est edificata, et inde iterum a Curonibus effugati pluresque occisi, reliqui fugerunt ad Leththos et ibi habitantes com eis, gavisi sunt de adventu sacerdotis. Quibus conversis et baptizatis vineam iam plantatam et agrum seminatum Domino committens sacerdos Rigam rediit.

15. DE BAPTISMO YDUMEORUM. Postea autem ad Ydumeos missus, quam plures ibidem et Leththos et Ydumeos baptizans ecclesiam super Repam edificavit et manendo cum eis vitam eternam eis demonstravit. Thoredenses vero receptis sacri baptismatis misteriis cum omni jure spirituali rogant sacerdotem suum Alabrandum, ut sicut in iure spirituali, sic et eos expediat in civilibus causis, quod nos dicimus in iure seculari, secundum iura christianorum. Gens enim Lyvonum quondam erat perfidissima ei unusquisque proximo suo quod habebat auferebat, et ideo in baptismo huiusmodi probibita sunt violencia, rapina, furta et hiis similia; qui autem ante baptismum spoliati fuerunt, dolentes de rerum suarum amissione, eo quod sua recipere per violenciom post baptismum non auderent, iudicem secularem pro causis huiusmodi terminandis petebant.

DE IUDICIO SECULARI ALEBRANDO COMMISSO. Unde Alebrando sacerdoti tam de spiritualibus causis quam de civilibus audiendis primitus iniunctum est. At ille iniunctum sibi officium tam propter Deum quam pro peccatis suis fideliter amministrans, furta et rapinas cohercendo, iniuste ablata restituendo Lyvonibus viam iuste vivendi demonstravit. Pacuit autem Lyvonibus ista christianorum consuetudo primo anno, eo quod per fideles hujusmodi advocacie amministraretur officium, quod postea per manus diversorum iudicum secularium laycorum per universam Lyvoniam et Letthigalliam et Estoniam nimis est depravatum, qui

magis pro burse sue implecione quam justicie Dei intuitu huiusmodi advocacie officium exercuerunt.

16. Eadem hyeme facta est ecliptio solis per magnam horam diei.

17. DE DONATIONE LYVONIE IN IMPERIUM, Episcopus autem Albertus circuivit in Theuthonia per vicos et plateas et ecclesias, querendo peregrinos. Et perlustrata Saxonia et Westfalia tandem ad curiam regis Philippi pervenit, et cum ad nullum regem auxilii haberet respectum, ad imperium se convertit et Lyvoniam ab imperio recepit. Unde rex pie memorie Philippus quolibet anno sibi in auxilium dari centum marcas promisit. Si promissis quispiam dives esse poterit.

XI

1. DE BAPTISMO LETTORUM. ANNUS NONUS. Anne nono

baptizata universa Lyvonia siluit ecclesia, pacis gaudet quiete, sui exspectans adventum antistitis, Archiepiscopus vero Lundensis et cancellarius cum omnibus suis ad reditum se preparantes Gothlandiam in dominica palmarum attingunt et in terra sua sacrosanctam pasche celebrant solempnitatem, Rigensis vero antistes in pentecoste Rigam veniens cum gaudio ab omnibus suscipitur, cum quo venit comes de Peremunt Godescalcus et comes alius et alii quam plures peregrini, nobiles et honesti viri, qui pace ecclesie gaudentes murum civitatis in tantum exaltaverunt, ut deinceps paganorum non. timeretur insultus,

2. DE REGE DE KUKENOYS. Audiens autem rex Vesceka de Kukenois episcopi et peregrinorum adventum, surrexit cum viris suis et abiit in occursum eorum et veniens Rigam ab omnibus est honorifice susceptus, Peractis itaque in domo episcopi diebus pluribus cum magno caritatis affectu, tandem auxilium episcopi contra insultus petit Lethonum, offerens sibi terre et castri sui medietatem. Quo accepto episcopus multis muneribus regem honorans et in viris et in armis opem promittens cum gaudio remisit. od propria.

DE LOCATIONE SACERDOTUM IN PARROCHIIS. Post hee episcopus de conversione et baptismo Lyvonum gavisus sacerdotes mittit ad omnes et in Thoreidam et in Methsepole et in Ydumeam et iuxta Dunam, et constructis ecclesiis locantur sacerdotes in parrochiis suis.

3. DE DONATIONE TERCIE PARTIS LYVONIE FRATRIBUS MILICIE. Factum est autem eodem tempore, ut augeret Dominus de die in diem numerum et familiam fratrum milicie; quibus visum est, ut, sicut accresceret eis in personis et labore, sic accrescere deberet et in rebus et in bonis, ut, qui in bellis et in aliis laboribus continuis portabant pondus diei et estus, simul et reciperent consolationem laboris sui denarium diurnum Petebant ergo a domno episcopo instancia cottidiana terciam partem tocius Lyvonie nec non et aliarum terrarum vel gencium in circuitu nondum conversarum, quas per eos Dominus simul cum aliis Rigensibus in posterum fidei subiceret christiane, ut sicut maioribus sollicitarentur expensis, sic pluribus gauderent redditibus. Episcopus autem tales viros, qui se murum pro domo Domini die ac nocte ponerent, more patris fovere et eorum numerum multiplicare desiderans, laboribus et expensis eorum respondere volens terciam partem Lyvonie solius eis concessit. Et quia ipse Lyvoniam cum omni dominio et iure ab imperatore receperat, eis suam terciam partem cum omni iure et dominio reliquit. De terris vero nondum acquisitis vel conversis, sicut nec dare potuit quod non habuit, sic rationabiliter contradixit. Illis autem instantibus precibus oportunis et inoportunis,

tandem perlatum est postea ad aures summi pontificis. Qui terras nondum acquisitas Deo committens de acquisitis terciam eis partem asscripsit, relicta episcopo quarta parte decimarum in partibus ipsorum ad obedientie recognitionem.

DE DIVISIONE LYVONIE. Rogatu itaque episcopi fratres milicie dividentes Lyvoniam in tres partes ipsi tamquam patri primam concedunt electionem. Unde cum ipse partem Cauponis, Thoreidam videlicet, primo assummeret, ipsi ex altera parte Coiwe secundariam partem sibi eligentes terciam partem in Methsepole episcopo reliquerunt. De provinciis autem sive prediis aliis iam dudum in beneficio prestitis ipsi per omnia recompensationem in aliis postea receperunt.

4. DE PRIMO ADVOCATO GODFRIDO. Divisa taliter Lyvonia episcopus sacerdotes in partes suas mittens fratribus milicie partes suas procurandas reliquit. Missus est eciam codem anno Godfridus, quidam peregrinus miles, in Thoreidam ad procurandum officium advocacie in iure seculari. Qui circueundo parrochias, causas et lites hominum determinans pecuniam et munera collegit plurima et modicum afferens episcopo sibi plura retinuit. Unde dolentes quidam alii peregrini confracta cistaque eius decem et novem marcas argenti de bonis furtive collectis invenerunt, exceptis aliis plurimis iam ab eo dispersis. Et quia inique egerat pervertendo iudicium et pauperes opprimendo et iniquos justificando et neophitos corrodendo, iusto judicio Dei factum est, ut ad terrorem aliorum talem incurreret verecundiam, et sicut a quibusdam relatum est, postea morte turpissima defunctus est.

5. DE BELLO CUM LETONIBUS. Post hec recordati Leththones omnium occisorum suorum a Rigensibus et Semigallis ante duos annos miserunt per totam Lethoniam, colligentes exercitum magnum; et transeuntes Dunam per totam noctem in vigilia nativitatis Domini veniunt in Thoreidam et summo mane transita Coiwa disperguntur per omnes villas, et invenientes terram nullis rumoribus premunitam multos occidunt, plures captivando deducunt.

DE LETONUM IN THOREYDAM EXPEDITIONE. Erant autem in ipso die nativitatis Domini duo sacerdotes in ecclesia Cubbesele, divinum Lyvonibus celebrantes officium, Iohannes videlicet Stric et alter Theodericus cum servo suo. Cumque finita missa prima Iohannes aliam iam celebraret, parrochiani venientem audientes. exercitum fugerunt de ecclesia, et quidam silvarum latibulis se committentes evaserunt, quidam ad propria festinantes in via captivati et quam plures sunt occisi. Dumque iam finita sequencia legitur ewangelium, Lethones velocitate equorum deferuntur hac et illac circa ecclesiam et Deo suos conservante ecclesiam non intrant, sed ad domum sacerdotis festinantes equos et pecora rapiunt, vestes et cibaria et omnia, que inveniunt, vehiculis imponunt. Et cum spoliantes in curia tantam facerent moram, sacerdos interim in ecclesia Dominici corporis et sanguinis sacrosancta conficiens mysteria et se ipsum sacrificium Deo offerre iam non dubitans Domino se commendabat. Cui Theodericus sacerdos ministrando, servus hostium servando fideliter astabant, confortantes eum, ne propter paganorum timorem divinum negligeret officium.

DE MIRAB[ILI] PER DEI MISERICORDIAM SACERDOTUM IN ECCLESIA CONSERVATIONE. Finita autem per Dei gratiam missa tollentes vestimenta altaris et indumenta omnia componentes in angulum sanctuarii deponunt et consedentes simul in ipso angulo se abscondunt. Hiis autem vix completis ecce inimicorum quidam. veniens in ecclesiam discurrit circumquaque et pene usque ad sanctuarium et nudum videns altare nichilque quod suum esset ibi videns, inquit: “Ba!” et exivit ad suos. Raptis itaque omnibus, que invenerunt, recedunt Leththones per viam suam, et vix illi curiam exierant et ecce alia turba ipsorum, plures

prioribus venientes et domum despoliatam invenientes post alios festinant, quorum unus ecclesiam intrans et ab equo suo non descendens nichilque ad rapiendum inveniens illosque in angulo latitantes ignorans iterum festine recessit, Veniente adhuc tercia Lethonum acie unus ex eis in vehiculo suo sedens ecclesiam transeundo sacerdotes non vidit. Illi autem gratias Deo referentes, eo quod ipsos sanos et incolumes ante faciem paganorum conservaverat, post discessum ipsorum circa vesperam ab ecclesia egressi ad silvas fugiunt et triduo panem non comedentes, quarto die Rigam veniunt. Lethones vero spoliata tota provincia in circuitu nocte colliguntur in unum in villa Annonis et summo mane exeuntes de terra mulieres et parvulos et predam magnam secum deducunt. In ipsa autem nocte nativitatis Domini mittentes Lyvones nuncios significant episcopo exercitum Lethonum Lyvoniam intrare, et post alii nuncii alios subsequuntur, referentes homines occisos et captivatos, ecclesias vastatas et omnia mala, que pagani novelle intulerunt ecclesie.

DE COLLECTIONE RIGENSIUM CONTRA LETONES. Hiis auditis episcopus convocatis peregrinis et fratribus milicie et mercatoribus et omnibus suis ammonet omnes in remissionem peccatorum, quatinus se murum pro domo Domini ponentes ecclesiam liberent ab inimicis. At illi omnes obtemperantes et ad pugnam se preparantes mittunt ad omnes Lyvones et Leththo comminantes et dicentes: “Quicunque non exierit sequutusque exercitum christianorum non fuerit, trium marcarum pena multabitur.” Invasit itaque timor omnes, et sequuti venerunt in obviam Rigensibus aput Dunam et ascendentes in Leneworde conveniunt exspectantes Lethonum reditum cum silencio infra urbem. Mittuntur eciam exploratores perscrutari viam eorum. Quibus occurrentes cum omnibus captivis et rapina aput Lenewarde nocte Dunam in glacie transeunt. Ascendens autem dux exercitus cum comitibus suis vicinius ad castrum et seniore castri vocato requirit, ubi collectio christianorum, et ait: “Vade, nuncia christianis, qui ante duos annos exercitum meum ab Estonia redeuntem quasi dormientem interfecerunt, nunc me et omnes meos vigilantes invenient.”

DE BELLO RIGENSIUM CONTRA LETONES. Hiis auditis christiani ad prelia Domini festinantes in primo mane hostes insequuntur et circa horam terciam transeuntes Dunam aput Ascrade eos ibidem inveniunt. Quos ut viderunt pagani sese persequentes, rebus certis territi simul omnes exclamaverunt clamore magno. Et convocantes suos in occursum revertuntur christianorum. Quorum clamorem et multitudinem non verentes christiani et in Deo confidentes elevatis vexillis subito irruunt in ipsos et interficientes hac et illac invalescere bellum ex utraque parte faciunt. Et Lethones, quasi velociores et crudeliores aliis gentibus, qui se vigilare ad preliandum predixerant, diu et fortiter repugnantes tandem dorsa ostendunt et sicut agiles ad bellum, sic veloces efficiuntur ad fugam. Unde alii ad silvas, alii per viam fugientes captivos et spolia derelinquunt. Quos persequentes christiani per totum diem multos occidunt ex eis et ceteri per fugam evaserunt. Post hee reversi ad spolia mulieres et parvulos neophitorum cum omnibus captivis a vinculis absolvunt, et convenientes omnes neophiti, tam Lyvones quam Letthi, cum Theuthonicis de ove perdita et inventa sive de ovibus luporum faucibus ereptis Deo gratias referunt et dividentes spolia captivos omnes amicis suis liberos remittunt.

6. DE OBSIDIONE CASTRI SELONUM. Postquam Dominus ecclesiam suam a paganorum impugnatione liberavit, timens episcopus, ne post exitum suum similia facientes Lyvoniam ubique devastent, castrum Selonum, quod erat eis egredientibus et ingredientibus in refugium omni tempore, destruere cogitabat et missis nunciis suis per universam Lyvoniam et Letthigalliam, qui se fidei iam coniunxerant christiane, convocat omnes in expeditionem. Et

collecto exercitu magno mittit episcopus abbatem Theodericum et Eggelbertum prepositum cum omni familia sua et peregrinis, adiunctis simul fratribus milicie Christi, ad expugnandum Selones. Et ibant versus Ascrad et transeuntes Dunam corpora Lethonum antea occisorum inhumata reperiunt. Que conculcantes per viam et ordinate incedentes ad castrum Selonum perveniunt. Et obsidentes castrum undique in circuitu multos in munitione vulnerant sagittis, multos per villas captivantes plures occidunt, ignem copiosum per lignorum comportationem incendunt. Nocte ac die requiem non dantes Selonibus timoren incuciunt. Unde clam vocatis seniribus de exercitu petunt pacem. At illi: “Si veram”, inquiunt, “pacem desideratis, abrenunciate ydolatrie et verum pacificum, qui est Christus, in vestrum castrum recipite. Baptizamini et Lethones, inimicos nominis Christi, deinceps a castro vestro removete.”

DE OBSIDIBUS DATIS ET FIDE RECEPTA. Placet hec forma pacis, et datis obsidibus baptismi sacramenta se recipere promittunt et Lethonibus remotis christianis se per omnia spondent obedire. Acceptis itaque pueris ipsorum mitigatur exercitus. Unde abbas et prepositus cum aliis sacerdotibus ascendentes ad ipsos in castrum, ad fidem iniciando eos instruunt et aspergentes castrum aqua benedicta et vexillum beate Marie in arce figunt, de conversione gencium gaudentes et Deum collaudantes de ecclesie profectu leti cum Letigallis et Lyvonibus in terram suam revertuntur.

7. DE BONIS MERCATORUM AB UGAUNENSIBUS QUONDAM DIREPTIS. Eodem tempore missus est Alebrandus sacerdos cum quibusdam aliis in Ugauniam requirere bona mercatorum quondam ante Rige edificationem ablata euntibus a Duna versus Plicecowe in vehiculis suis, que Ugaunenses consilio Lyvonum in via rapuerant, que multa erant, nongentis videlicet marcis et amplius comparata. Ugaunenses vero nec bona restituerunt, nec de reddendis in posterum certum recponsum reddiderunt.

DE BAPTISMO LETTO[RUM CIR]CA YMER[AM] HABITANCI [UM]. Unde Alebrandus huiusmodi modicum curans revertitur et in via Letigallis circa Ymeram habitantibus verbum Dei de suscipiendo baptismo alloquitur, presertim cum iam tota Lyvonia et plures ex Letigallis verbum Dei receperint. At illi gaudentes de adventu sacerdotis, utpote a Lethonibus sepius vastati et a Lyvonibus semper oppressi et per Theuthonicos sperantes relevarit ac defendi, cum gaudio verbum Dei recipiunt, missis tamen prius sortibus et requisito consensu deorum suorum, an Ruthenorum de Plicecowe cum aliis Letigallis de Tholowa, an Latinorum debeant subire baptismum. Nam Rutheni eorum tempore venerant baptizantes Lethigallos suos de Tholowa sibi semper tributarios. Et cecidit sors ad Latinos et annumerati sunt cum Lyvonensi ecclesia Rigensibus. Et baptizavit Alebrandus quasdam villas et rediit Rigam et nunciavit episcopo. At ille congaudens et semper ecclesie providere desiderans Henricum, scolarem suum, ad sacros ordines promotum cum eodem Alebrando ibidem remisit, et consummato baptismo in finibus illis reversus est Alebrandus. Alter vero constructa ecclesia et in beneficio recepta ibidem cum eis habitare et plurimis periculis expositus, future eis beatitudinem vite non desiit demonstrare.

8. QUALITER CASTRUM KUKENOYSE CAPTUM EST. Orta est in hoc tempore discordia inter regem de Kukenoys et Danielem militem de Lenewarde. Nam rex idem, cum plura inferret hominibus istius incommoda et sepius ammonitus a tali inquietatione non cessaret, servi ipsius Danielis surgentes nocte cum eo propere festinant ad castrum regis; et venientes diluculo cos, qui infra castrum erant, inveniunt dormientes et vigilem desuper minus provide vigilantem et repente ascendentes ipsam arcem munitionis attingunt. Et in castro se recipientes Ruthenos propter nomen christianitatis non audent interficere, sed gladiis suis eis comminantes quosdam

in fugam convertunt, alios captivando vinculis deputant. Inter quos ipsum regem rapientes et eum in vincula proiciunt et omnem substantiam, que erat in castro, in unum locum comportantes diligenter conservant et dominum suum Danielem, qui prope erat, ad se vocant. Ipse autem consilium episcopi super hoc facto audire desiderans omnia Rigensibus significat. Unde episcopus nimium contristatus cum omnibus suis que facta sunt non approbans regem in castrum suum restitui et omnem substantiam reddi precipit et rege ad se vocato multis eum honorat muneribus equorum et vestium. preciosarum plura exhibet paria et in solempnitate paschali benignissimo eum cum omnibus suis procurans affectu et, omni discordia sopita inter ipsum et Danielem, cum gaudio remittit ad castrum suum. Memor eciam episcopus promissi, quod ei promisit, quando castri sui ab eo medietatem suscepit, et mittit cum eo viros strennuos XX cum armis et equitaturis suis, milites, balistarios nec nou sementarios ad castrum firmandum et contra Leththones tenendum, providens eis in expensis et indigenciis suis per omnia. Cum quibus idem rex leta quidem facie, licet dolos meditaretur in corde, revertitur in Kukenoys, relicto episcopo in Dunemunde, qui solito more iturus erat in Theuthoniam pro colligendis peregrinis in sequentem annum. Nam et illi, qui iam annum peregrinationis sue expleverant, ad redeundum in Theuthoniam parati erant. Quos in Dunemunde iam dudum residentes per contrarium ventum Deus repellendo abire non permisit.

9. Regulus autem predictus reversus in Kukennoys et peregrinos cum episcopo iam abiisse non dubitans, qui et in Riga paucissimos remansisse peroptime novit, perfidie sue dolos iam diucius in corde suo abscondere non potuit, sed inito consilio cum omnibus viris suis et exspectato tempore et die oportuno, cum Theuthonici fere omnes ad opus suum exirent et ad edificationem castri lapides in fossato exciderent, depositis interim gladiis et armis suis desuper fossatum, preterea regem quasi dominum vel patrem suum non timentes. Et ecce subito accurrentes servi regis et omnes viri sui gladios et arma Theuthonicorum diripiunt et plures inermes ex ipsis et nudos stantes in operibus suis interficiunt. Et quidam ex ipsis fugientes nocte ac die Rigam, ut nunciarent ibi quod actum erat, perveniunt. Interfectis autem decem et septem viris tres per fugam evaserunt. Quorum corpora in Dunam proiecerunt et Rigensibus remiserunt. At illi colligentes de aqua corpora in Dei servicio interfectorum devote et cum lacrimis sepelierunt. Post hec rex idem equos meliores Theuthonicorum et balistas et loricas et similia mittens regi magno Woldemaro rogat et suadet, ut convocato exercitu quantocius veniat et Rigam capiat, in qua paucos viros remansisse et meliores a se occisos et alios cum episcopo recessisse significat. Quibus auditis ille nimium credulus ad expeditionem omnes suos amicos et viros regni sui convocat. Episcopus interim in Dunemunde a vento contrario detentus, cognita suorum interfectione et ecclesie sue intellecta traditione, peregrinos omnes in unum convocat, ecclesie dampna lacrimando indicat et, ut fiant ecclesie defensores et fortes auxiliarii, ipsos invitat et crucis signum resumere in plenariam ante neglectorum delictorum remissionem ammonendo confortat et ob maioris laboris sui longam peregrinationem maiorem indulgenciam et vitam promittit eternam. Hiis auditis accedentes fere trescenti de melioribus resumpta cruce Rigam redire et murum se pro domo Domini ponere non formidant. Insuper et multos mercede conducens episcopus Rigam remittit. Preterea omnes Theuthonici undique per Lyvoniam dispersi cum aliis Lyvonum senioribus ad ecclesie defensionem Rigam conveniunt. Audientes itaque Rutheni Theuthonicorum et Lyvonum in Riga collectionem, timentes sibi et castro suo, co quod male egerint, et non audentes in castro suo Rigensium exspectare adventum collectis rebus suis et equis et armis Theuthonicorum inter se divisis incendunt castrum Kukenoys et fugiunt unusquisque per viam suam. Lethigalli et Selones, qui ibi habitabant, silvarum

tenebrosa querunt latibula. Rex autem sepedictus, sicut male egerat, sic versus Ruciam nunquam deinceps in regnum suum rediturus abscessit.

XII

1. DE ANNO DECIMO. Hiis itaque peractis episcopus anno consecrationis sue iam decimo ecclesiam suam in Lyvonia Domino committens et peregrinis et omnibus christiani nominis in Lyvonia habitantibus in Theuthoniam pro diversis ecclesie negociis vadit, tum pro peregrinis, tum pro rebus, quibus ecclesia nova adhuc et multis indigens adiuvetur, colligendis. Et circuendo et predicando per loca plurima multos suffert labores. Qui autem in Riga remanserant, confortantes se in invicem et viriliter agentes civitatem undique firmabant. Et audientes exustionem castri Kukenoys et fugam Ruthenorum mittunt quosdam ad persequendum illos. Inter quos Meynardus et quidam alii ex servis episcopi, insequentes fugitivos et plures ex ipsis per silvas et paludes invenientes, Letigallos videlicet et Selones, qui regis erant tributarii, qui conscii erant regis et cooperatores in traditione et mortificatione Theuthonicorum, nonnullos eciam Rutenorum rapientes, tulerunt spolia eorum et substantiam et arma quedam Theuthonicorum receperunt. Et quos invenerunt reos, eo quod conscii traditionis fuerunt, omnes crudeli morte sicut meruerunt interfecerunt et exstirpaverunt traditores de finibus illis.

2. DE EXPEDITIONE IN LETONIAM CUM SEMIGALLIS. Hoc tempore Rigenses et christiani, qui erant in Lyvonia, pacem erant desiderantes et non venit, bona erant querentes et ecce turbatio, Nam post fugam Kuthenorum sperantes se evasisse Caribdim, sed erat adhuc imminens Scille periculum. Nam Vesthardus, Semigallorum dux, memor adhuc bellorum et malorum multorum, quibus a Lethonibus debellatus et depredatus sepe fuerat in omnibus confinibus Semigallie, ad expeditionem se preparat adversum Lethones et in Riga christianorum suppliciter deprecatur auxilium, allegans, quod iam en alia vice Rigensibus ad expugnandos alios paganos venit in adiutorium, insuper et deorum suorum sortes in meliorem partem cecidisse insinuat. Ad hec Rigensium seniores deorum suorum sortes non curantes, immo propter suorum paucitatem auxilium sibi denegantes bellum hoc tempore contra Lethones omnimodis contradicunt. Sed precum suarum tandem instancia et stultorum virorum, qui cum eo ituri erant, pertinaci audacia victi, bellum eis non prohibere, immo obedienter eos ad pugnam mittere, ne in anima et corpore periclitentur, decernunt. Mittuntur itaque cum Vesthardo quinquaginta vel paulo plures viri, milites ac balistarii, nec non et ex fratribus milicie Christi plures. Assumentes secum Danielem, Ydumeorum sacerdotem, profecti sunt in terram Semigallorum. Qui in equis suis insidentes et in armorum suorum nitore venientes benignissime a Semigallis sunt recepti. Qui mittentes per omnes fines suos congregaverunt exercitum magnum; et procedentes prope Lethoniam nocte quiescunt et quiescentes a diis suis futura requirunt, mittentes sortes et postulantes favorem deorum suorum et inquirentes, si videlicet fama adventus ipsorum prevolaverit et si Lethones venturi sint ad pugnandum contra eos. Et cecidit sors et famam prevenisse et Lethones ad bellum paratos esse. Unde stupefacti Semigalli nimis ad redeundum Theuthonicos invitant, eo quod Lethonum valde timeant insultum. Sed Theuthonici respondentes dixerunt: “Absit”, inquiunt, “rem hanc facere, ut fugiamus ab eis et inferamus crimen genti nostre. Sed eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare cum eis”. Et non poterant avertere cos Semigalli. Erat enim Semigallorum infinita multitudo, de quibus confidebant Theuthonici. Licet pluviarum et ymbrium nimia esset

inundantia procedunt tamen audacter in Lethoniam et dividentes acies suas per villas, inveniunt eas vacuas et viros omnes cum mulieribus et paroulis per fugam evasisse. Unde timentes sibi bellum imminere quantocius congregantur in unum et nullam moram facientes eodem die ad reditum se preparant. Quod intelligentes Lethones velocitate equorum suorum eos undique circumvolant et, prout consuetudo eorum habet, circumferuntur hac et illac, modo fugiendo, modo persequendo, et lancearum suorum ac pedorum missione quam plures vulnerant. Porro Theuthonici in unum se conglobantes cuneum et exercitum post tergum custodientes Semigallos preire permittunt. Qui repente in fugam conversi alius post alium semet ipsos conculcando opprimunt, alii silvas et paludes querunt, et totum pondus prelii versum est in Theuthonicos. Unde quidam ex ipsis fortissime se defendentes diu pugnaverunt et, cum pauci essent, tante multitudini resistere non valebant. Aderant eciam strennuissimi viri, Gerwinus et Rabodo, cum pluribus aliis, qui post diuturnam pugnam quidam vulnerati ceciderunt, quidam captivati in Lethoniam ab inimicis deducti sunt, alii per fugam evaserunt et, ut nunciarent que gesta sunt, in Rigam redierunt.

3. Audita itaque fuga suorum et Lethonum audacia condoluit civitas et subito versa est in luctum cythara Rigensium et cantus eorum in vocem flencium. Et orantes in celum omnes seniores et discreti viri iudicabant deinceps in multitudine paganorum non esse confidendum nec cum paganis contra alios paganos esse pugnandum, sed in Domino sperandum et cum Lyvonibus et Leththis iam baptizatis audacter ad omnes gentes procedendum. Quod et factum est. Nam eodem anno vexillum beate Virginis deportatum est a Lyvonibus et Leththis et Theuthenicis in Ungauniam et sic deinceps ad omnes Estones et gentes in circuitu, Deo cooperante, qui solus omnia regna superavit.

4. DE LETONIBUS OCCISIS A SEMIGALLIS. Post hec autem Lethones cum magno exercitu intrantes Semigalliam ceperunt occidere et vastare omnia que invenerunt. Semigalli vero insidiantes eis in via et silvas succidentes in reditu fere omnes occiderunt. Et de eorum spoliis Rigensibus munera honorifice miserunt.

5. Eodem tempore misit Deus ad consolationem ecclesie sue viros religiosos quam plures in Dunam: Florencium, abbatem Cysterciensis ordinis, Robertum, Coloniensis ecclesie canonicum, Conradum Bremensem cum aliis quibusdam. Quorum quidam in Dunemunde, quidam cum fratribus milicie sancte conversationis habitum elegerunt, quidam ad predicationis opus transierunt. De quorum adventu ecclesia adhuc parva quam plurimum letificata et confortata post tristia bella gratias agebat Deo, qui semper sues in omni tribulatione non desinit consolari, cui est honor et gloria in secula. Amen.

Explicit liber IIIus de Lyvonia.

6. INCIPIT LIBER QUARTUS DE ESTONIA. Et factum est, postquam iam tota Lyvonia baptizata est et Leththigallia, miserunt seniores Leththorum, Kussinus de castro Sotecle, Waridote de Autine. Talibaldus de Beverin nec non et Bertoldus, frater milicie de Wenden, nuncios suos ad Estones in Unganiam, requirere que iusta sunt de omnibus iniuriis sibi illatis ab eis. Erant enim. Letti ante fidem susceptam humiles et despecti et multas iniurias sustinentes a Lyvonibus et Estonibus, unde ipsi magis gaudebant de adventu sacerdotum, eo quod [post] baptismum eodem iure et eadem pace omnes simul gauderent. Estones autem verba nunciorum parvipendentes nichil iuris impenderunt, sed cum eis nuncios sues in Leththigalliam direxerunt. Et cum jam fratres milicie essent habitantes in Wenden, miserunt Bertoldum, quasi primum de suis, ad placitum Leththorum cum Estonibus. Venit eciam ex parte episcopi Heinricus sacerdos

et Lethti quam plures. Et incipiebant retractare, que pacis et iusticie erant. Sed Estonum legati contempnentes et pacem Lethorum et iniuste sibi ablata restituere dedignantes Lettis per omnia contradicunt et lanceis acutissimis in invicem comminantes sine aliqua forma pacis recedunt. Supervenientibus interim mercatoribus et Theuthonicis aliquantis de Gothlandia surrezit Waridote cum aliis Lethtorum senioribus et Rigam venientes suppliciter auxilium contra Estonum iniuriam postulant. Rigenses igitur ad memoriam revocantes eciam suas iniurins et bona innumerabilia quondam suis mercatoribus ab Ungaunensibus ablata postulancium votis annuunt, exercitum promittunt; presertim cum et ipsorum nuncii pro eisdem bonis mercatorum sepius ab Ugaunensibus contempti et irrini redierint, nolentibus iniuste ablata restituere.

DE PRIMA EXPEDITIONE IN ESTONIAM. Invocato itaque super se Dei omnipotentis et beate Dei genitricis Marie auxilio perrexerunt Rigenses cum fratribus milicie et Theoderico, fratre episcopi, et mercatoribus et aliis Theuthonicis in Thoreidam et de tota Lyvonia et Leththigallia convocantes exercitum fortem et magnum et euntes die ac nocte veniunt in Ugauniam et despoliantes villas et homines paganos occidentes, igne et gladio suas iniurias vindicantes tandem apud castrum Odenpe, id est Caput Ursi, conveniunt et castrum incendunt. Et post hec triduo quiescentes et die quarto cum pecoribus et captivis et omni rapina sua is terram suam revertuntur. Letthi autem in terram suam reversi. Firmantes castra sua ad pagnam fortissime se preparant, omnia sua in castris collocantes et exercitum Estonum exspectantes, ipsis occurrere poruti. Ugaunenses itaque convocatis sihi in auxiliom Saccalenensibus repente terram Letthorum intrantes in finibus Tricatue et Letthum quendam, Wardeke nomine, vivum in igne cremanies et alles captivantes multa Letthis mala intulerunt et obsidentes castrum Beverin per totam diem Letthos in castro existentes impugnabant.

DE OBSIDIONE CASTRI BEVERIN. Letthi vero exeuntes de castro et viriliter eis occurrentes ad pugnam quinque ex eis occiderunt ed equos eorum rapuerunt, et recurrentes in castrum ad suum sacerdotem, qui tunc presens aderat, simul cum ipso Deum, quem pro se pugnare senciebant, simul omnes benedicebant. Inter quos erat Roboam ex forcioribus unus, qui descendens inter medios hostes dues ex ipsis occidit et ex collaterali parte castri sanus et incolumis ad suos reversus est, Deum collaudans pro speciali laude tali, quam sibi Dominus de paganis contulit. Sacerdos eciam ipsorum, impugantionem Estonum modicum attendens, munitionem castri ascendit et allis pugnantibus ipse musico instrumento ennehat Deum exorando. Sed barbari audientes carmen et sonitum instrumenti acutum substiterunt, quia in terra sus non audierant, et pausantes a bello causam tante leticie perquirebant. Leththi autem eo quod recepto nuper baptismo Deum se defendere viderent, ideo se gaudere ac Deum se laudare responderunt. Tunc Estones de renovanda pace proposuerunt. Sed Letthi: “Nondum”, “inquiunt, mercationes Theuthonicis ablatas neque etiam bona nobis sepins ablata restituistis. Sed neque inter christianos et paganis unum cor et una anima neque forma pacis firma esse poterit, nisi recepto nobiscum eodem juge christianitatis et pacis perpetue unum Deum colatis." Qus audito Estones nimium indignati a castro diverterunt sequutique Letthi post tergum plurimos vulneraverunt.

DE PERSECUTIONE HOSTIUM. Et mittentes per noctem od magistrum milicie Christi in Wenden, Wennonem, qui tunc aderat, rogabant eum venire cum suis ad persequendum Estones. At ille convocatis Leththis omnibus in circuitu mane facto venit in Beverin et invenit exercitum paganorum iam dudum divertisse persequutusque est eos per totum diem illum. Nocte vero sequenti factum est gelu maximum et claudicantibus equis fere omnibus hostes attingere non

valuerunt, en quod pecorilus occisis, captivis dimissis, per viam fugiendo, bellum non exspectantes reversi sunt unusquisque in terram suam.

DE EXPE[DI]TIONE LETTO [RUM] PRIMA IN SA[C]KALAM. Tune Leththi de Beverin tristes de morte suorum, quos Estones trucidaverant et igne cremaverant, miserunt ad omnes Leththos in circuitu, ut essent ad iter parati, ut si quando donante Deo se de suis possent vindicare inimicis. Unde factum est, ut Russines, qui erat Leththorum fortissimus, et Waridote cum omnibus Letthis, qui erant in finibus suis, convenirent in magna multitudine apud castrum Beverin predictum. Et conspirantes adversus Estones ad despoliandam terram ipsorum se preparaverunt et indutis armis suis, que habebant, processerunt iter diei unius residentesque ordinaverunt exercitum suum et ibant nocte ac die et intrantes provinciam Saccalanensem invenerunt viros ac mulieres et parvulos in domibus suis in omnibus villis ac locis et occiderunt quos invenerunt a mane usque ad vesperam, tom malierea quam parvulas eerum et trescentos e melioribus viris se senioribus Saccalanensis provincie alsque aliis innumerabilibus, donec fesse manus et brachia occidencium pre nimis interemptione plebis janm deficerent. Villisque omnibus sanguine multo paganorum coloratis sequenti die redierunt et per omnes villas spolia multa colligentes iumenta et pecera multa et puellas quam plurimas, quibus solis parcere solent exercitus in terris istis, secum abduxerunt. Et revertentes paulatim multis diebars per viam moram faciebant, existentes parati, si forte Estones residui bellum eis post tergum intulissent. Sed Estones propter tantam suorum interfectionem ad persequendum Lethtos venire non presumebant, sed tristia funera a Letthis sibi iniecta multis diebus colligentes et igne cremantes, exequias cum lamentationibus et potationibus multis more suo celebrabant. Lethti vers apud stagnum Astigerwe se deposuerunt et divisis inter se spoliis universis leti in Beverin redierunt et invento ibidem Bertoldo fratre milicie nec non et sacerdote suo proprio cum militibus et balistariis quibusdam episcopi munera eis ex omnibus contulerunt. Et cum esset in dominica Gaudete, omnes unanimiter cum gaudin Deum benedicebant, eo quod [per] noviter conversos Dominus tantam fecerit vindictam eciam ceteris in nationibus. Russinus eciam rediens in castrum Beverin aperuit os suum dicens: “Filii”, inquit, “filiorum meorum nunciabunt ea filiis suis in terciam et quartam generationem, que operatus est Russinus in Saccalanensium funeribus.”

DE PACE FACTA CUM ESTONIBUS IN ANNUM. Hoc audito Hermannus, Lyvonum advocatus, nimium adversus Lettos indignatus, eo quod bellum ad Estones magis ac magis renovarent, misit et convocavit omnes seniores Lyvonum atque Lettortum et habito consilio cum eis nec non et cum Thesathonicis, cum adhuc rari essent et panci Theuthonici habitantes in terra, placuit omnibus, ut en que pacis essent tractarentur cum Estonibus usque ad adventum domni episcopi, qui erat in Thouthonia pre colligendis peregrinis in sequentem annum. Quod consilium placuit eriam Estonibus, et receperunt pacem, quia post meliorum suurum occisionem Letborum iam magnum ceperant habere timorem, et lite nondens finita treugarum quandam formam ad unius anni terminum composuerunt.

XIII

1. Anno consecrationis sue XI presul Albertus rediit a Theuthonia, habens secum in comitatu peregrinorum copiosam multitudinem. Inter quos erat Rodolfus de lericho et Wolterus de Hamersleve et alii nobiles quam plures, milites et elerici cum omni populo, qui se omnes periculis maris committentes in Lyvoniam devenerunt. Quorum consilio presul idem usus

convocavit omnes Lyvones ac Lettos iam dudum conversos et recordatus mortificationis illius, quam sibi ae suis rex Vesceka preterito anno intulerat, cum milites ac familiam suam, quam rogatione sua sibi cum multis expensis contra Letones in auxilium miserat, dolo ac fraude nimia mortificavit, cum omnibus peregrinis et exercitu suo divertit in Kukenois. Et inveniens montem ipsum desertum et pre immundicia quondam inhabitantium vermibus ac serpentibus repletum iussitque et rogavit eundem montem mundari ac renovari et firmis fecit munitionibus muniri et castrum firmissimum edificavit et milites ac balistarios cum familia sua ibidem [ad] castrum conservandum reliquit et multis expensis adhibitis diligentissime custodiri fecit, ne qua Letonum subtilitas vel Ruthenorum ficta dolositas eos sicut antea defraudaret, Rodolfo eciam supradicto de Iericho medietatem castri concessit et fratribus milicie suam partem terciam asscripsit. Quibus ibidem relictis et omnibus bene dispositis Rigam rediit. Letti vero cum duobus exercitibus medio tempore Letoniam intraverant et quibusdam occisis, quibusdam captivatis ad nostros in Kukenois redierunt et cum episcopo et omnibus suis ad propria redierunt.

2. Erat in eodem tempore Wickbertus quidam inter fratres milicie, qui forte cor suum ad amorem seculi magis quam ad religionis disciplinam inclinaverat et inter fratres multas ipse discordias seminavit, Qui sancte conversationis abhorrens consorcium et Christi miliciam dedignans venit ad sacerdotem in Ydumea, ibidem episcopi dicens se velle exspectare adventum et episcopo per omnia velle obedire, Fratres autem milicie, Bertoldus de Wenden cum quibusdam aliis fratribus ac servis, fratrem tamquam fugitivum persequentes in Ydumea comprehendunt et in Wenden reducentes in vincula proiecerunt. Qui audito adventu episcopi rogavit, ut absolveretur et Rigam redire permitteretur, promittens se episcopo et fratribus obedire. Fratres autem gaudentes et post adversitatum incommoda tamquam filium prodigum fratrem suum resipiscere sperantes honorifice Rigam remittunt et societati restituunt. Ille vero tamquam Iudas inter fratres ad modicum tempus conversatus sive tamquam lupus inter agnos fraudis sue fictam conscientiam dissimulare nesciens diem oportunum exspectabat, quando cordis sui maliciam adimpleret.

DE INTERFECTIONE MAGISTRI ET DE SUBSTITUTIONE MAGISTRI WOLQUINI. Et factum est in die solempni euntibus ceteris fratribus cum aliis hominibus ad monasterium ipse interim convocato ad se magistro milicie et Johanne, sacerdote ipsorum, secreta sua eis aperire proponens in superiori domo sua subito bipenni, quam semper secum portare solebat, caput magistri tetigit et sacerdotem simul cum magistro in eodem loco trucidavit et interfecit. Et notum factum est aliis fratribus et fugientem eum a domo in capellam persequuntur et comprehensum eum per civile iudicium, sicut meruerat, crudeli morte interemerunt. Et sepulto cum magno planctu fideli ac pio magistro suo Wennone cum sacerdote non minus pium ac benignum et omnibus virtutibus repletum Volquinum in locum suum restituerunt. Hic postea, sive presente sive absente episcopo, in omni expeditione exercitum Domini ducendo atque regendo preliabatur prelia Domini cum leticia et egrediebatur et regrediebatur ad gentes in circuitu. Et adiuvabant eum omnes fratres eius, et auxilium et victoria Domini semper erat cum eis.

3. DE MORTE PREPOSITI PRIMI ENGELBERTI ET SUBSTITUTIONE IOHANNIS PREPOSITI. Mortuo eciam in eodem anno Eggelberto, ecclesie beate Marie preposito, assumpsit episcopus de conventu Schetensi virum mansuetum, discretum et prudentem in omnibus viis suis, Iohannem, et in locum fratris sui, eiusdem venerabilis prepositi, substituit et ei ecclesiam beate Marie regendam commisit. Et cum esset de regula et ordine beati Augustini

idem Iohannes et de albo habitu, qui vere mundiciam significat, episcopus ad confirmationem eiusdem habitus vestes et cappas nigras canonicorum eiusdem ecclesie in albas commutavit. Et cum adhuc essent timores paganorum intus et foris, idem conventus infra ambitum prime civitatis in ecclesia primo edificata habitavit; et post incendium eiusdem ecclesie et civitatis extra muros aput Dunam ecclesiam beate Marie edificare et ibidem habitare ceperunt. Peregrini vero eiusdem anni in muri exaltatione et in aliis, quibus Deo servire poterant, obedire parati erant.

4. Et cum iam dies autumpnales appropinquarent, episcopus semper ecclesiam Lyvonensem promovere ac defendere sollicitus habito. consilio cum discretioribus suis, qualiter ecclesiam novellam a Lethonum et Ruthenorum insidiis liberaret, diligenter pertractavit. Et recordatus omnium malorum, que rex de Gercike cum Letonibus Rigensi civitati et Lyvonibus et Leththis [intulerat], contra inimicos christiani nominis ire ad bellum deliberant. Erat namque rex Vissewalde de Gercike christiani nominis et maxime Latinorum semper inimicus, qui filiam potentioris de Lethonia duxerat uxorem et quasi unus ex eis, utpote gener ipsorum et eis omni familiaritate coniunctus, dux exercitus eorum frequenter existebat et transitum Dune eis et victualia ministrabat, tam euntibus in Ruciam quam Lyvoniam et Estoniam. Erant eciam tunc Lethones in tantum omnibus gentibus in terris istis existentibus dominantes, tam christianis quam paganis, ut vix aliqui in villulis suis habitare auderent, et maxime Lethti. Qui relinquentes domos suas desertas tenebrosa silvarum semper querebant latibula nec sic quidem cos evadere potuerunt; nam insidiando eis omni tempore per silvas eos comprehenderunt et aliis occisis, alios captivos in terram suam deduxerunt et omnia sua eis abstulerunt. Et fugerunt Rutheni per silvas et villas a facie Letonum licet paucorum, sicut fugiunt lepores ante faciem venatorum, et erant Lyvones et Lethti cibus et esca Lethonum et quasi oves in fauce luporum, cum sint sine pastore. DE EXPEDITIONE CONTRA REGEM DE GERCEKE. Misso igitur pastore liberavit Deus oves suas Lyvones et Leththos iam baptizatos a faucibus luporum, episcopo videlicet Alberto, qui convocato exercitu de omnibus finibus Lyvonie et Leththie et cum Rigensibus et peregrinis et omni populo suo ascendit Dunam versus Kukennoys. Et cum esset Gercike semper in laqueum et quasi in dyabolum magnum omnibus in ipsa parte Dune habitantibus, baptizatis et non baptizatis, et esset rex de Gercike semper inimicicias et bella contra Rigenses exercens et pacis federa cum eis inire contempnens, episcopus exercitum suum convertit ad civitatem. Rutheni vero videntes exercitum a longe venientem, ad portam civitatis occurrunt et, cum Theuthonici eos armatis manibus impeterent et quosdam ex eis occiderent, ipsi se defendere non valentes fugierunt. Et Theuthonici eos insequentes portam cum ipsis intraverunt et pre reverencia christiani nominis paucos occidentes, plures captivantes et per fugam evadere magis eos permittentes, mulieribus et parvulist, postquam civitatem ceperunt, parcentes multos ex eis captivaverunt; et rege trans Dunam navigio fugiente cum pluribus aliis regina capta est et episcopo presentata cum puellis et mulieribus et omni substancia sua. Sedit itaque die illo omnis exercitus in civitate, et collectis spoliis multis de omnibus angulis civitatis tulerunt vestes et argentum et purpura et pecora multa et de ecclesiis campanas et yconias et cetera ornamenta et pecuniam et bona multa tollentes secum asportaverunt. Deum benedicentes, eo quod tam repente eis contulit victoriam de inimicis et aperuit civitatem absque lesione suorum.

DE INCENSIONE GERCEKE. Sequenti die distractis omnibus ad reditum se preparaverunt et civitatem incenderunt. Et viso incendio rex ex altera parte Dune suspiria magna trahendo et gemitibus magnis ululando exclamavit dicens: “O Gercike civitas dilecta! o hereditas patrum

meorum! o inopinatum excidium gentis mee! Ve michi! Ut quid natus sum videre incendium civitatis mee, videre contritionem populi mei!”

Post hec episcopus et omnis exercitus divisis inter se spoliis universis cum regina et captivis omnibus reversi sunt in terram suam. Et remandatum est regi, ut Rigam veniat, si saltem adhuc pacem habere et captivos recipere cupiat. At ille veniam veniens pro excessibus postulat, episcopum patrem appellat, omnes Latinos quasi fratres conchristianos suppliciter exorat, ut preteritorum malorum obliviscantur, ut pacem sibi tribuant et uxorem et captivos restituant, virgas acutissimas allegans ignem et gladium, quibus a Latinis castigatus fuerat. Tunc episcopus cum omnibus suis regis supplicantis misertus pacis formam ei proposuit dicens: Si paganorum consorcia deinceps vitare volueris, ita ut per eos ecclesiam nostram non destruas, simul et terram Ruthenorum tuorum conchristianorum per Letones non vastaveris, si regnum tuum ecclesie beate Marie perpetua donatione conferre volueris, ut a nostra tamen manu iterum recipias, et nobiscum iugi pacis conformitate congaudeas, tunc tandem tibi reginam cum omnibus captivis restituemus et fidele auxilium tibi semper prestabimus. Hanc formam pacis rex accipiens promittit se deinceps ecclesie beate Marie semper esse fidelem et paganorum consilia vitare et christianis adherere confirmat et regnum suum eidem ecclesie conferens a manu episcopi trium vexillorum sollempni porrectione recipit et eum in patrem eligens omnia Ruthenorum ac Lethonum consilia mala ei deinceps revelare affirmat. Redditaque est ei regina cum captivis aliis et reversus est letus in terram suam et convocatis hominibus suis, qui evaserant, castrum suum reedificare cepit. Et non minus postmodum Lethonum se consiliis intermiscens, promisse fidelitatis oblitus paganos adversus Theuthonicos, qui erant in Kukenoys, sepius concitavit.

5. DE EXPEDITIONE SECUNDA IN UGAUNIAM. Post hec finita pace, que facta erat cum Ungaunensibus, Bertoldus magister milicie in Wenden vocato ad se Russino cum Lethtis suis nec non et aliis Lethtis de Autine et cum Wendis suis ivit in Ungauniam. Et invenerunt homines in villis suis, qui nondum ad castrum confugerant, et quamplures occiderunt in omnibus villis, ad quas venire potuerunt, et multis interfectis alios captivos duxerunt et spolia multa acceperunt et mulieres et puellas secum ducentes villas tamquam desertas reliquerunt et facta cede magna et incendio ad propria redierunt, Audientes hoc Lyvones Thoredenses, qui infidelitatis sue consilia cum Estonibus adhuc semper habuerant occulta, indignati sunt, eo quod Bertoldus de Wenden cum Lettis bellum adversus Estones renovaret, et suggerebant episcopo, ut nuncios in Ungauniam pro pace destinaret.

DE PACE FACTA. Et misit episcopus Alebrandum sacerdotem in Odempe tam pro pace renovanda, quam pro mercatorum bonis requirendis. Et audientes Estones de tota Ugaunia nuncios episcopi advenisse convenerunt ad placitum et aperiens Alebrandus os suum docebat eos de fide Christi. Quo audito Estones cum lanceis et gladiis ad eum interficiendum concurrunt. Sed quidam ex senioribus eum defendentes: “Si”, inquiunt, hunc nuncium episcopi interfecerimus, quis nobis deinceps credet aut nuncium mittet? Et nolentes audire verba salutis remiserunt Alebrandum episcopo et miserunt viros cum eis pro pace facienda. Et facta est pax cum Lyvonibus et Lethtis episcopi ex una parte Coiwe. Bertoldus vero de Wenden et Russinus cum suis Lethtis pacem non recipientes ad pugnam se preparaverunt.

XIV

1. DE ANNO DUODECIMO.

Annus pontificis Xus fuit atque secundus Et siluit paucis Lyvonum terra diebus.

Annus erat pontificis duodecimus et siluit ecclesia diebus paucis. Nam in remeatione eiusdem pontificis cum peregrinis suis in Theuthoniam relictis in Lyvonia viris suis cum quibusdam peregrinis subito Curones, nominis Christi inimici, apud Sunde in littore maris cum octo pyraticis apparuerunt. Quod videntes peregrini de coggonibus exeunt, minores naves intrant, ad paganos accelerant et minus provide festinantes unaqueque navis aliam antecedit, ut hostes prima attingat. Curones vero exoneratis primis partibus pyraticarum suarum eas in occursum venientibus extollunt duabusque simul ordinatis spacium inter singulas duas alias derelinquunt. Unde venientes peregrini cum duabus primis cymbis vel navibus minoribus infra spacium idem pyraticarum involvuntur et, cum essent in minoribus navibus, hostes super se stantes ex alto attingere non valebant.

DE QUIBUSDAM A CURONIBUS IN SUNDE INTERFECTIS. Unde quibusdam ex eis lanceis inimicorum interfectis, quibusdam vero submersis et quibusdam vulneratis alii ad coggones redeuntes evaserunt. Tunc Curones colligentes corpora interfectorum nudaverunt et vestimenta ac cetera spolia inter se diviserunt. Quos tamen cives de Gothlandia postea devote colligentes sepelierunt. Erant autem fere triginta milites et alii, qui ibidem interfecti sunt. Pontifex itaque luctum habebat super suos diebus aliquot, sciens quia sit utilis persecutio pacienti, cum beati sint, qui persecutionem paciuntur propter iusticiam, eo quod vasa figuli probat fornax et viros iustos temptatio tribulationis.

2. DE EXPEDITIONE PRIMA RUTHENORUM IN ODENPE.

Eodem tempore rex magnus Nogardie, simul et rex de Plicecowe cum omnibus Ruthenis suis venerunt cum exercitu magno in Ugauniam et obsidentes castrum Odempe pugnaverunt cum eis diebus octo. Et cum esset in castro defectus aquarum et penuria ciborum, pecierunt pacem a Ruthenis. Et dederunt pacem eis et baptismate suo quosdam ex eis baptizaverunt et acceperunt ab eis quadringentas marcas nogatarum et recesserunt ab eis et reversi sunt in terram suam, dicentes se sacerdotes suos eis missuros ad sacre regenerationis lavacrum consummandum; quod tamen postmodum neglexerunt. Nam Ugaunenses postea sacerdotes Rigensium susceperunt et baptizati sunt ab eis et connumerati sunt cum Rigensibus.

3. Post annos aliquot venerunt Frisones cum peregrinis in supra dictam Gothlandie insulam et invenerunt Curones ibidem cum magna rapina et circumvenientes eos subito pugnaverunt cum eis et occiderunt fere omnes, tollentes quatuor pyraticas cum omni preda et ducentes secum Rigam et oves infinitas, quas de terris christianorum spoliaverant, abstulerunt eis et Rigam adduxerunt. Et facta est leticia magna de vindicta facta in Curonibus.

4. Pontifex autem de laboribus continuis et de morte suorum licet plurimum esset contristatus, tamen iterum ad Dominum confugiens, iter et negocium suum ipsi committens in Theuthoniam revertitur, bonis ac Deum timentibus dampna suorum conqueritur, per vicos et plateas, per civitates et castra querens, quis se murum pro domo Domini opponat, quis crucis signum sibi affigat, ut mare transeat, ut in Lyvoniam vadat ad consolationem paucorum, qui ibi remanserant. Et inventus est Yso Verdensis episcopus cum Philippo Raceburgensi episcopo nec

non et Paderborensis episcopus, qui se ad iter idem in sequentem annum cum militibus suis et cum multis aliis preparaverunt.

5. DE CONSPIRATIONE LYVONUM PERFIDORUM ATQUE CURONUM CONTRA CIVITATEM RIGAM. Post recessum pontificis et post conflictum Curonum cum peregrinis audientes gentes omnes in circuitu aliquantos de peregrinis a Curonibus interfectos miserunt in invicem nuncios, Lyvones primo ad Curones, Curones ad Estones nec non ad Lethones, Semigallos et Ruthenos, querentes omne consilium, qualiter Rigam delerent et Theuthonicos omnes dolo tenerent et occiderent. Existimantes autem Letones paucos in Kukenoyse remansisse venerunt ad castrum cum exercitu magno et invenientes Rodolfum de Iericho cum ceteris viris episcopi in castro fortissime eos propugnaverunt. Contra quos exeuntes servi episcopi et Lethti de castro plures ex eis lanceis suis et balistarii de munitione nonnullos vulnerantes interfecerunt. Quorum infestationem ferre non valentes Letones ab eis diverterunt. Tunc Lyvones quidam de Adia iamdudum baptizati, perfidie sue felle repleti abierunt in Curoniam et commoventes universam terram contra Rigensem ecclesiam collegerunt exercitum fortem et magnum, allegantes, in civitate, prout rei veritas dictabat, paucissimos remansisse. Quod audientes cives exploratores in mare miserunt.

DE OBSIDIONE CIVITATIS A CURONIBUS. Curones vero congregati cum omni exercitu suo residentes in vicino quatuordecim diebus auxilium deorum suorum et tempus oportunum sortibus suis requirebant. Exploratores interim nichil videntes reversi sunt. Tunc comes de Sladem, Marquardus miles cum aliis peregrinis, qui in pascha remanserant, in Theuthoniam redire desiderantes cum duobus coggonibus suis in Dunemunde descendunt et paucis in navibus relictis in claustro nocte dormiunt. Et apparente sequentis diei diluculo apparet totum mare quasi nube tenebrosa perfusum. Unde illi, qui in navibus erant, videntes multitudinem paganorum et exercitum magnum super se venientem, quidam ad defendendum se preparant, quidam ad claustrum confugiunt. Pagani vero sperantes civitatem absque ullius fame precursione repente capere, naves ipsas peregrinorum non impugnantes ad civitatem velocissime remigant. Sed piscatores ex omni parte Dune eos videntes Rigam fugiunt, exercitum sequentem indicant. Cives autem et fratres milicie et balistarii, essent licet pauci, cum clericis et mulieribus omnes ad arma confugiunt, sonitu campane, que tantummodo tempore belli pulsabatur, populum convocant et exeuntes obviam inimicis in littore Dune plures ex eis balistis vulnerant. Et Curones relinquentes naves suas in Duna ordinaverunt exercitum suum in campo, et portabat unusquisque tabulam ligneam ante se ex duobus asseribus compositam et clavam ad modum baculi pastoralis ad sustentaculum ipsius tabule. Et ut refulsit sol in tabulas albas, resplenduerunt aque et campi ab eis. Erat enim exercitus magnus et fortis et appropinquabat ad civitatem. Et Lyvones ac balistarii occurrentes eis ad primam munitionem, que erat in campo ante portam civitatis, cum eis pugnaverunt usque ad horam diei terciam. Cives autem villam, que erat extra muros, incenderunt. Quidam eciam ex nostris habentes aput se claviculos ferreos tridentes et proiecerunt eos in via, qua exercitus veniebat. Et cum de civibus quidam ad pugnam viriliter accederent et plures ex hostibus sub tabulis suis stantes occiderent, in reditu super claviculos ipsos ceciderunt, et quidam ex ipsis occisi sunt et alii ad nos evaserunt. Post hec ibat exercitus ad naves suas et facto prandio iterum ad bellum se preparabat. Et cum audirent sonitum campane magne, dicebant se ab illo deo christianorum commedi atque consumi. Et accedentes iterum ad civitatem per totam diem pugnabant. Et cum exirent de tabulis suis ad comportationem lignorum ad incendium, plurimi ex eis a sagittariis ledebantur. Et quicumque eorum a lapidibus machinarum aut a balistariis vulneratus cecidit,

statim frater suus aut alius consocius suus absciso capite eum totaliter interfecit. Et cum undique circumdedissent civitatem et ignem copiosum incendissent, venientes Holmenses in equis suis ad Montem Antiquum et gladiis suis hostibus comminantes ad civitatem ex alia parte declinant. Quos videntes Curones a civitate recedunt et collectis interfectis suis ad naves revertuntur et transita Duna triduo quiescentes et mortuos suos cremantes fecerunt planctum super eos. Lyvones Thoredenses audientes Rigam obsessam a Curonibus et civitatis eversionem desiderantes collegerunt exercitum copiosum, ut venirent Curonibus in auxilium. Erant enim Lyvones quidam perfidi et Semigalli et alie gentes exspectantes eventum Curonum, ut omnes simul ad destructionem civitatis convenirent. Sed Holmenses eadem die occisis Curonibus quibusdam in insulis et navibus ablatis venerunt ad civitatem. Marquardus miles rediens a Dunemunde inter medios hostes civitatem intravit et postea societati fratrum milicie se coniunxit. Caupo cum omnibus cognatis et amicis suis et Lyvonibus fidelibus sequenti nocte in civitatem venit. Conradus de Ykescola cum Lyvonibus superioribus mane facto venit in campum iuxta civitatem, et facto ludo magno in equis et armis suis convenerunt ad eum omnes de civitate et gaudium magnum factum est inter eos. Et processerunt ad Curones et vocaverunt eos ad pugnam, parati aut mori fortiter aut vivere. At illi de funeribus suorum magis solliciti, pacifice loquentes post triduum recesserunt. Lyvones autem, qui huius traditionis rei extiterant, sine aliqua lesione suorum sponte Deo et familie episcopi satisfecerunt et postmodum fideles esse promiserunt. Civitas vero misericorditer hac vice per Dei gratiam a paganis liberata Deo gratias referebat et diem beate Margarete, in qua ab obsessione liberata est, deinceps celebrandam instituit infra civitatem. Bertoldus quoque de Wenden eodem tempore cum Lettis venerat de Ugaunia, pluribus villis incensis et multis paganis occisis incommoda plurima eis intulerat; et ipse quoque cum magna turba venit in auxilium Rigensibus. Sed recedentibus Curonibus unusquisque reversus est in terram suam.

6. DE EXPEDITIONE TERCIA IN UGAUNIAM. Post hec idem Bertoldus collegit exercitum, et ibant servi episcopi cum eo, Siffridus et Alexander et alii plures et Lyvones et Letti, et venientes in Ugauniam ad castrum Odempe paucos in castro reperiunt. Unde castrenses propter paucitatem suorum exterriti Bertoldum verbis pacificis in castrum recipiunt. Servi episcopi cum Lyvonibus quibusdam Bertoldum in castro receptum ignorantes ex altera parte castrum ascendunt.

DE ODE[MPE] CAPTO ET [IN]CENSO. Sequitur eos totus exercitus, montis summitatem capiunt, arcem munitionis comprehendunt, fiunt potentes in castro, viros occidunt, mulieres capiunt, spolia multa rapiunt, et quidam per fugam evaserunt. Tunc diebus aliquot quiescentes ibidem et divisa inter se rapina et castro incenso in Lyvoniam revertuntur.

7. DE EXPEDITIONE ESTONUM CONTRA WENDOS ET OBSIDIONE WENDORUM. Lyvonensis itaque ecclesia tunc in multis tribulationibus constituta, utpote in medio plurimarum nationum ac Ruthenorum adiacentium, qui omnes consilium fecerunt in unum, ut eam destruerent. Unde Rigenses decreverunt ad regem de Plosceke nuncios destinare, si forte cum eo aliquam formam pacis possent invenire. Et missus est Rodolfus de Iericho cum quibusdam aliis, ut irent in Ruciam.

8. Et cum appropinquarent Wenden, ecce Estones cum exercitu magno venientes Wenden obsederunt. Et Rodolfus cum suis ad castrum illud evaserunt. Et pugnaverunt Estones cum Bertoldo et fratribus suis et Wendis diebus tribus ad antiquum castrum, in quo adhuc habitabant fratres cum Wendis. Et ceciderunt multi de Estonibus a balistariis vulnerati, similiter et ex

Wendis lanceis inimicorum quidam sunt interfecti. Fecerunt namque Estones. comportationes magnas lignorum, apponentes ignem ad incendendum castrum, et arbores magnas cum radicibus trahentes de silvis ad modum propugnaculi composuerunt, aliis lignis firmantes et munientes et desubtus preliantes et desuper per ignem et fumum eos, qui in castro erant, multum infestabant. Et nisi breviati fuissent dies belli, maiora utique mala intulissent, quia per negligenciam quorundam nec primo nec secundo die, sed tercio die obsidionis venerunt rumores Rigensibus. Unde et ipsi surgentes quarto die venerunt in Sygewalde.

DE MALWEA LYVONUM. Eodem die Estones audientes cum Caupone et amicis suis Lyvonum et Lettorum magnam congregationem convenisse recesserunt a castro Wenden et transeuntes Coiwam aput stagnum, quod est in via Beverin, nocte dormientes quieverunt. Fratres autem de Wenden et Caupo cum Lyvonibus et Lettis mane sequentes aput idem stagnum ad prandium se deposuerunt et exploratores et custodes exercitus premiserunt, quorum quidam reversi nunciaverunt Estones trans Ymeram fortissime fugientes. Et statim Lyvones et Letti, verbis illorum nimium credulit, ad persequendum illos festinanter acceleraverunt, dicentes se Rigensium nequaquam posse moram exspectare. Sed Caupo cum Theutonicis: “Exspectemus”, inquit, fratres nostros, et tune poterimus pugnare et assumptis alis nostris in altum volares.

DE BELLO PRIMO AD YMERAM. At illi spernentes et Theutonicorum magis interitum cupientes persequuti sunt Estones, ordinantes tamen in prima acie Theuthonicos, ut ipsi post tergum sequentes et belli exitum considerantes sive ad persequendum, sive ad fugiendum sint paratiores. Et processerunt ad Ymeram, nescientes exercitum Estonum in silvis aput Ymeram latitantem. Et subito viderunt omnem exercitum obvium sibi venientem. Tune Arnoldus frater milicie sumpto vexillo: “Conveniamus”, inquit, fratres Theuthonici, et videamus, si pugnare queamus, et non fugiamus ab eis et non inferamus crimen genti nostre, Et accesserunt ad eos et occiderunt ex eis et pugnaverunt cum eis, et cecidit Bertoldus, filius Cauponis, nec non et gener ipsius Wane, vir fortis et virtuosus, et quidam ex fratribus milicie et servi episcopi Wichmannus et Alderus graviter vulnerati sunt.

DE FUGA LYVONUM. Lyvones autem post tergum sequentes, ut viderunt multitudinem exercitus undique de silvis venientem, statim se ad fugam converterunt, et Theuthonici soli remanserunt. Quod videntes Theuthonici et paucitatem suorum considerantes, cum non essent tantummodo nisi circiter viginti, ipsi se in unum conglobantes directa via pugnando cum inimicis ad Coiwam redierunt. Rodolfus de Iericho lancea vulneratus in terram cecidit, quem Wigboldus Friso equo restituit, qui et ipse Friso velocitate equi confisus, modo fugiendo, modo ad inimicos redeundo et in strictis locis eos detinendo, multos liberavit.

DE MARTYRIO LETTORUM AD YMERAM. Estones vero tam Theuthonicos quam Lyvones et Lettorum pedites a dextris et a sinistris fugientes persequebantur. Et comprehensis ex eis fere centum alios occiderunt, alios aput Ymeram reducentes crudeli martirio cruciaverunt. Erant enim ex eis quatuordecim, quorum alios vivos assaverunt, alios nudantes vestimentis suis et gladiis suis in dorsis eorum crucibus factis iugulaverunt et in martyrum consorcium ut speramus in celum transmiserunt.

Tunc Estones reversi in terram suam et improperantes christianis miserunt per omnes provincias Estonie, coniurantes et confederantes, ut essent cor unum et anima una contra nomen christianorum. Caupo itaque et Lyvones et Letti reversi de prelio planxerunt interfectos suos, tristes eo quod nuper baptizati a paganis sint trucidati. Et condolebat eis tota ecclesia, que tunc erat tamquam arcus durus, qui semper tenditur et numquam frangitur, tamquam archa Noe, que

magnis quidem fluctibus elevatur, sed non alliditur, navicula Petri, que undis quatitur, sed non submergitur, mulier, quam draco persequitur, sed non opprimit. Post hanc enim tribulationem secuta est consolatio", post tristiciam dedit Deus leticiam.

9. DE PACE FACTA INTER REGEM DE PLOSCEKE ET RIGENSES PERPETUO. Nam missus est Arnoldus frater milicie cum sociis suis ad regem de Ploceke, si forte pacem recipiat et mercatoribus Rigensibus viam in terram suam aperiat. Qui benigno recipiens eos affectu et pacis tranquillitate congaudens, licet in dolo, misit cum eis Ludolfum, virum prudentem ac divitem de Smalenceke, ut Rigam veniens, que iusta sunt et pacifica, retractet. Qui postquam in Rigam venerunt et regis voluntatem aperuerunt, placuit Rigensibus, et facta est pax perpetua tunc primo inter regem et Rigenses, ita tamen, ut Lyvones debitum tributum regi persolvant annuatim vel episcopus pro eis. Et gavisi sunt omnes, ut eo securius cum Estonibus et aliis gentibus bellare valeant. Quod et factum est.

10. DE PRIMA EXPEDITIONE IN SONTAGANA. Adveniente namque nativitatis Dominice solempnitate et hyemis asperitate invalescente mittunt seniores Rigensium per totam Lyvoniam et Lettiam et per omnia castra Dune et Coiwe, ut veniant omnes et sint parati ad faciendam vindictam in Estonum nationibus. Et pervenit verbum in Plescekowe, qui tunc erant nobiscum pacem habentes, et venit maxima turba Ruthenorum nostris in auxilium. Et venerunt seniores terre, Russinus et Caupo, Ninnus simul et Dabrelus cum ceteris et precedebant Rigenses et peregrinos, et sequebatur omnis exercitus in Metsepole. Et acceptis obsidibus a Lyvonibus, qui perfidi putabantur, processerunt ad mare; et directa via secus mare die ac nocte euntes venerunt ad primam provinciam, que Sontagana vocatur. Custodes quoque viarum videntes exercitum fugierunt, ut nunciarent suis. Sed qui erant velociores in exercitu simul cum exploratoribus villas intrantes invenerunt fere omnes in villis et in domibus suis. Et divisit se exercitus per omnes vias ac villas, et interfecerunt populum multum in omnibus locis et persequebantur eos in provinciis adiacentibus et ceperunt ex eis mulieres et pueros et convenerunt ad eastrum. Sequenti die ae tercio circueuntes omnia vastaverunt et incenderunt que invenerunt et equos et pecora innumerabilia acceperunt. Erant enim boum et vaccarum quatuor milia, exceptis equis et aliis pecoribus et captivis, quorum non erat numerus, Multi eciam paganorum, qui in silvis et in glacie maris per fugam evaserunt, frigore congelati perierunt. Quarto die captis castris tribus et incensis exire ceperunt de terra cum universa rapina et morose redeuntes equaliter inter se diviserunt et cum gaudio in Lyvoniam redierunt et benedixerunt omnes Dominum, qui dedit eis vindictam de inimicis; et de improperio conticuerunt Estones, quod Lyvonibus et Lettis prius de martyrio suorum inproperaverunt.

ITEM DE EXPEDITIONE ALIA. Sequenti lunatione convenerunt iterum Lyvones ac Letti cum Rigensibus aput Astigerve stagnum, et habentes obvium sibi exercitum Saccalanensium et Ugaunensium processerunt ad eos, ut pugnarent cum eis. Sed illi dorsa vertentes fugerunt, et remansit unus ex eis, qui accedens ad nostros nunciavit exercitum alium magnum de Maritimis provinciis eadem nocte via alia, que est iuxta mare, Lyvoniam intraturum. Quo audito seniores Lyvonum festinantes ad uxores et pueros suos, ut eos salvarent ab inimicis, reversi sunt unusquisque ad munitiones suas. Et confestim die crastino venerunt Estones, qui prius evaserant, de Sontagana et aliis provinciis circumiacentibus cum exercitu magno in Metsepole et omni populo in castris existente ipsi villas vacuas et ecclesias incenderunt et nequicias multas circa ecclesias et sepulchra mortuorum christianorum immolaticiis suis exercuerunt. Et convenerunt Rigenses in Thoreida ad persequendum eos, Bertoldus quoque de

Wenden et Russinus cum omnibus Lettis ad Raupam, Quo audito cicius exierunt de terra et conflictum christianorum non exspectaverunt.

ITEM DE EXPEDITIONE IN SACKALAM. Tercia lunatione preparaverunt se Rigenses ad obsidionem castri Viliende in Saccale. et convocaverunt Lyvones et Lethtos de omnibus finibus et castris et penam non venientibus comminantes et terrorem incutientes collegerunt exercitum fortem. Et ibat cum eis Eggelbertus, gener episcopi, qui eodem anno procurabat advocaciam in Thoreida, cum fratribus milicie et peregrinis. Et ibant in Sackala, ducentes secum machinam minorem sive paterellum et balistas et cetera instrumenta necessaria ad castri impugnationem.

11. DE PRIMA OBSIDIONE CASTRI VILIENDE. Anno incarnationis Dominice MCCX, presulis Alberti XIII, facta est obsidio prima castri Viliende in Sackala a Theuthonicis et Lyvonibus et Lettis. Et miserunt Theuthonici Lyvones et Lettos ad omnem provinciam circumiacentem despoliandam et pro victualibus et annona. Qui euntes per omnes villas multos paganorum occiderunt et alios captivos ad castrum adduxerunt. Tunc Bertoldus de Wenden et Russinus cum aliis Lettis et senioribus, acceptis captivis omnibus, accedentes vicinius ad eastrum: “Si”, inquit, renunciaveritis culture deorum vestrorum falsorum et nobiscum in Deum verum credere volueritis, vobis captivos istos vivos restituemus et vos in fraternitatis caritate nobiscum vinculo pacis colligabimus. At illi Deum ac nomen christianorum omnino audire dedignantes bellum magis comminantur, armis Theuthonicorum, que in primo conflictu in porta castri rapuerant, induuntur et in summitate castri gloriantur, ad pugnam se preparant et clamore suo exercitum subsannando irrident, Russinus autem et Letti comprehensis captivis omnibus et trucidatis in fossatum proiciunt et eis, qui in castro erant, id ipsum comminantur. Interim sagittarii multos interficiunt et omnes ad defensionem repellunt, alii propugnaculum edificant, Lyvones et Letti lignorum comportatione fossatum ab imo usque ad summum implent et propugnaculum superimpellunt; Letti cum balistariis desuper ascendunt, sagittis ac lanceis in munitione multos interficiunt, multos vulnerant, fit pugna maxima diebus quinque. Estones primam struem lignorum incendere nituntur, igne copioso de castro in vehiculis misso. Lyvones et Letti missa glacie et nive extingunt, Arnoldus, frater milicie, ibidem nocte et die laborans, tandem lapide proiectus in martyrum consorcium transmigravit. Qui erat vir valde religiosus et semper orans, et quod oravit, hoe, sicut speramus, invenit. Theuthonici machinam instruentes nocte ac die lapidum iactatione loca munita confringunt, homines et iumenta infinita in castro interficiunt, quia Estones talia numquam viderant et domos suas contra tales impetus non firmaverant, Lyvones cum Lettis struem lignorum siccis lignis superadaugent usque ad plancas. Eylardus de Dolen desuper ascendit. Sequuntur Theuthonici in armis, plancas solvunt, aliam munitionem de intus inveniunt, quam solvere non possunt. Castrenses desuper congregantur, lapidum atque lignorum iactibus Theuthonicos repellunt. Qui descendentes ignem apponunt, castrum incendunt. Estones plancas ardentes et ligna munitionis incensa solvunt, distrahunt. Finito incendio in crastino omnia reponunt et ad defensionem residui se iterum confortant. Erant autem in castro multa cadavera interfectorum et defectus aquarum et fere omnes vulnerati, ut iam deficerent. Die sexto Theuthonici: “Numquid”, inquiunt, resistitis adhuc et creatorem nostrum non agnoscitis? Ad hoc illi: Cognoscimus Deum vestrum maiorem diis nostris, qui nos superando animum nostrum ad ipsius culturam inclinavit. Unde rogamus, ut parcendo nobis iugum christianitatis, sicut et Lyvonibus et Lettis, ita et nobis misericorditer imponatis. Unde Theuthonici, evocatis senioribus de castro, omnia iura christianitatis eis proponunt et pacem et fraternam caritatem promittunt.

DE FIDE CHRISTI ET PACE RECEPTA A SACKALANENSIBUS. Qui de pace nimium gaudentes codem tempore cum Lyvonibus et Lettis eodemque iure sacramenta baptismi recipere pollicentur. Unde positis obsidibus et pace firmata sacerdotes in castrum recipiunt. Qui omnes domos et castrum et viros et mulieres cum omni populo aspergentes aqua benedicta et quodammodo iniciantes, ante baptismum cathezizantur, pre nimia sanguinis effusione adhuc baptismi sacramentum differentes. Hiis itaque peractis reversus est exercitus in Lyvoniam, et de conversione gencium omnes glorificabant Dominum.

12. DE MERCATORIBUS IN RIGA TEMPORE BELLI REMANENTIBUS. Post hec in paschali solempnitate mercatores, audientes omnia consilia Estonum et aliorum paganorum in circuitu, qualiter ante adventum episcopi et peregrinorum Lyvoniam et civitatem Rigensem destruere cogitabant, iter suum in Gothlandiam differebant, mercationes suas et negocia negligentes, et usque ad adventum peregrinorum cum omnibus navibus suis remanserunt. Interim missi sunt nuncii in Estoniam, videre quid a paganis agatur. Qui reversi bella nunciant, pacem secum referunt, consilia infidelium aperiunt.

DE EXPEDITIONE IN SACCALAM. Et confestim surrexit Caupo et Bertoldus de Wenden cum suis ac servi episcopi et ibant in Sackalanensem provinciam viciniorem et incenderunt villas omnes, ad quas pertingere potuerunt, et occiderunt omnes viros et mulieres captivas reduxerunt et reversi sunt in Lyvoniam.

DE DIVERSIS EXPEDITIONIBUS SACCALANENSIUM AD LETTOS. Et secuti sunt eos Saccalanenses et incenderunt omnes villas circa Astigerwe eciam et ipsi et pervenerunt usque ad Ymeram et occisis quibusdam Lettis mulieres et parvulos captivos duxerunt et spolia secum detulerunt. Post quos Lambito et Meme, seniores de Sackale, surgentes cum alio exercitu transierunt Ymeram et pervenerunt ad ecclesiam et incenderunt eam et omnia, que erant sacerdotis, devastantes et per totam parrochiam pecora et spolia multa colligentes et homines, quos rapuerunt, occidentes, mulieres et parvulos et puellas captivas deduxerunt, et facta est tribulatio magna in omni confinio Lyvonie.

DE BELLIS ROTALIENSIUM. Nam Saccalanenses et Ugaunenses Lettos impugnabant, Rotalienses et Maritime provincie Lyvones episcopi in Metsepole et in Lethegore tribus exercitibus impetebant, ita ut unus exercitus alium sequeretur, et alii redeuntes et alii venientes requiem non darent Lyvonibus die ac nocte, sed persequentes eos tam in latibulis silvarum quam in stangnis et in agris occiderent eos et mulieres captivarent et equos et pecora minantes spolia multa asportarent et pauci ex eis superstites remanerent; et humiliavit Deus perfidiam ipsorum in magna parte eodem tempore, ut deinceps fideliores efficerentur. Osilienses pyraticis suis Coiwam intrantes et in Thoreydam ascendentes parrochiam in Cubbesele totaliter devastaverunt et omnem provinciam in circuitu despoliantes alios occiderunt et alios captivos deduxerunt et alii ex eis fugientes Rigam evaserunt et contra impetum paganorum auxilium postulabant. Rigenses autem civitatem diligenti custodia servantes et traditionem quorundam perfidorum timentes, adventum episcopi et peregrinorum exspectabant.

13. DE CONCORDIA FACTA CUM FRATRIBUS MILICIE.

Episcopus autem eodem anno cum Wolquino magistro fratrum milicie Romam veniens, a summo pontifice benignissime receptus est et super divisione Lyvonie ac Lettie privilegia recipiens et super predicatione in remissionem peccatorum auctoritatem renovatam accipiens cum gaudio reversus est. Et missis rescriptis privilegiorum [per] Prusciam in Lyvonia omnem

populum non modicum letificavit, ut cum lacrimis nunciantibus occurrerent, eo quod post bellorum multa incommoda consolationem eciam summi pontificis acciperent.

XV

1. DE ANNO XIII. Annus erat presulis tercius decimus et non quievit ecclesia a bellis. Redeunte itaque episcopo de Theuthonia venerunt cum co tres episcopi, Philippus Raceburgensis, Yso Verdensis et Pathelborniensis episcopus, Helmoldus de Plesse, Bernardus de Lippia et alii nobiles et peregrini quam plures, quorum adventus omnibus erat desiderabilis, ut liberaret sedentes in periculis.

2. DE EXPEDITIONE ESTONUM AD YMERAM. Letti ergo gavisi de adventu peregrinorum conveniunt ad Ymeram, et procedentes cum paucis obvium habent exercitum magnum paganorum et videntes multitudinem eorum conversi sunt in fugam. Quos persequentes Estones et aliquos ex eis occidentes, sequuntur ad Ymeram et tota nocte euntes mane veniunt ad Raupam et ecclesiam incendentes et ecclesie dotem et omnem provinciam circueuntes villas et domos flammis tradunt, viros occidunt, mulieres et parvulos de latibulis silvarum extrahentes captivos ducunt.

DE EXPEDITIONE CAUPONIS IN SACKALAM. Audientes hec Rigenses cum peregrinis exeunt, in Thoreydam veniunt. Sed pagani adventum eorum verentes post triduum cum omni rapina sua velociter in terram suam revertuntur, et Caupo cum quibusdam Theuthonicis et aliis sequens in Saccałam, villas multas et castra Owele et Purke incendit et tollens spolia multa viros multos occidit. et mulieres cum parvulis captivos abducit.

3. DE EXPEDITIONE MAGNA ROTALIENSIUM ET REVELENSIUM ET OSILIENSIUM IN THOREYDAM. Interim Osilienses et Revelenses et Rotalienses convocant exercitum magnum et fortem de omnibus provinciis Maritimis adiacentibus, et erant cum eis omnes seniores de Osilia et Rotalia et de universa Estonia, habentes multa milia equitum et plura milia navigio veniencium, in Lyvoniamque procedunt. Et equites cum peditibus suis in Metsepole venientes Thoreidam festinant. Alii trans mare venientes pyraticis suis Coiwam ascendunt et uno die simul cum equitibus suis iuxta castrum magnum Cauponis, quod Lyvones tunc propter metum paganorum inhabitabant, omnes conveniunt et obsidentes eos undique in circuitu equites in anteriori parte castri, alii in posteriori iuxta pyraticas suas ad flumen resident. Et occurrunt eis balistarii in campum, qui a Riga missi castrum cum Lyvonibus custodiebant, et multos ex eis vulnerant, multos interficiunt, utpote inermes, qui non habent consuetudinem armorum in tantum, quantum alie gentes. Post hec Estones per provinciam mittunt ex suis forcioribus ad despoliandam terram. Qui incendentes villas et ecclesias et ex Lyvonibus comprehensos occidunt, alios captivos ducunt et spolia multa tollentes, et boves et pecora in conventum suorum compellunt et mactantes boves et alia pecora diisque suis immolantes, favorem ipsorum requirunt. Sed caro percussa cadens in partem sinistram deorum offensam et omen indicat sinistrum. Ipsi tamen ab incepto non desistentes castrenses impugnant, lignorum strues faciunt, montem castri fodiunt, ibidem se magetac, id est manere in perpetuum, promittunt, donec aut castrum destruant aut Lyvones ad suum consensum emolliant, ut eodem itinere secum ad destruendam Rigam vadant. Et ait Lyvo de castro: “Maga magamas”, id est: Iacebis hic in eternum. Fratres ergo milicie in Sygewalde videntes omnia, que pagani faciebant, Rigensibus significant auxiliumque peregrinorum postulant. Supervenientes nuncii Lyvonum

in castro obsessorum omnes miserias, quas a paganis passi sunt Lyvones et Letti, lacrimabiliter insinuant, episcopis supplicant, ut missis viris suis ecclesiam suam liberent. Confestim episcopi milites suos hortantes peregrinis et omni populo in remissionem peccatorum iniungunt, ut fratribus suis Lyvonibus subveniant et vindictam faciant Deo donante in Estonum nationibus. Et surrexerunt fratres milicie cum peregrinis et Helmoldus de Plesse et milites, induentes arma sua et equos suos phalerantes, cum peditibus suis et Lyvonibus et omni comitatu suo proficiscuntur ad Coiwam et transeuntes Coiwam et procedentes tota nocte paganis iam appropinquant et ordinantes exercitum eumque ad bella docentes pedites via magna, que est ad Wendeculla, premittunt; equites vero via, que est ad dexteram, subequuntur. Et ibant pedites caute et ordinate et mane facto descendentes de monte vident castrum et exercitum paganorum, et vallis erat inter eos. Et statim percusso tympano leticie cum instrumentis musicis et cantu suo virorum animos exhilarantes Deique clemenciam super se invocantes festinanter ad paganos accelerant et transito rivulo ad colligendum se in unum modicum subsistunt. Quo viso pagani, rebus certis territi, currunt, clippeos apprehendunt, alii ad equos properant, alii sepem transsiliunt, simul in unum conveniunt, clamoribus suis aerem turbant, in multitudine magna christianis occurrunt, lanceas super eos tamquam ymbres mittunt, christiani lanceas clippeis suis excipiunt; quibus exhaustis gladios arripiunt, propius accedunt, bellum committunt, cadunt vulnerati, pugnant viriliter pagani. Quorum fortitudinem videntes milites per medios hostes confestim irruunt, equis suis phaleratis timorem eis incuciunt, ad terram multos prosternunt, alios in fugam convertunt, fugientes persequuntur, per viam et per agros comprehensos interficiunt. Lyvones de castro cum balistariis fugientibus paganis occurrunt, ventilantes eos per viam et includentes in medio et occidentes usque ad Theuthonicos in tantum persequuti sunt, ut pauci ex eis evaderent et ut Theuthonici eciam quosdam ex Lyvonibus similes Estonibus interficerent. Quidam vero ex eis alia via, que est circa castrum versus Coiwam, fugientes ad aliam partem exercitus sui venientes evadunt. Sed plures ex eis in montis descensione a militibus persequentibus occiduntur. Ubi Everhardus frater milicie interficitur et quidam ex militibus nostris vulnerantur. Interim alia pars exercitus videns interitum suorum, in monte, qui est inter castrum et Coiwam, congregatur et ad defensionem se preparant. Lyvones vero et pedites christianorum ad spolia currunt, equos diripiunt, quorum erant ibi multa milia, bellum ad paganos residuos negligunt. Sed milites et balistarii inpugnantes eos in monte sedentes, multos ex eis interficiunt. Unde ipsi petentes pacem baptismi sacramenta se recepturos promittunt. Quorum verbis milites credentes verbum episcopis significant, ut ad ipsos recipiendos veniant. Ipsi vero nocte in pyraticas suas confugiunt et ad mare descendere cupiunt, sed balistarii ex omni parte Coiwe descensum eorum impediunt. Alii peregrini cum Bernardo de Lippia de Riga venientes ad Coiwam pontem in flumine faciunt, structuras lignorum desuper edificant, venientes pyraticas sagittis et lanceis excipiunt, via fugiendi paganis undique precluditur. Unde tacito noctis sequentis silencio relictis omnibus suis clam de pyraticis suis exeuntes effugerunt, et quidam in silvis, quidam secus viam fame perierunt et pauci ex eis in terram suam, ut verbum domi nunciarent, evaserunt. Erant autem equorum ibidem acquisitorum fere duo milia, simul et virorum interfectorum alia duo milia. Peregrini et omnes, qui bello interfuerunt, Rigam redeuntes et pyraticas paganorum secum ducentes fere trescentas preter minores naves equos et spolia omnia equaliter inter se diviserunt, ecclesiis partes donantes et cum episcopis et omni populo Deum collaudantes, qui in adventu primo plurimorum episcoporum tam gloriosum de paganis triumphum concessit. Tunc enim ecclesia Lyvonensis Deum vere pugnare pro set intellexit, eo quod in eodem bello caput Estonie cecidit,

id est seniores Osilie et seniores Rotalie et aliarum provinciarum, qui ibidem omnes interfecti sunt. Et ita quiescere fecit Dominus superbiam eorum et arroganciam forcium humiliavit.

4. DE CONSECRATIONE THIDERICI ABBATIS IN EPISCOPUM.

Episcopus igitur Lyvonensis, accepta a summo pontifice auctoritate in transmarinis terris, quas Deus per Lyvonensem ecclesiam fidei subiceret christiane, vice archiepiscopi episcopos creandi et consecrandi, Theodericum abbatem Cysterciensis ordinis in Dunemunde sibi cooperatorem continui laboris assumpsit et, in Estonia promittens episcopatum, eum in episcopum consecravit.

DE ORDINATIONE COMITIS BERNARDI IN ABBATEM. Bernardum vero de Lippia in abbatem consecravit. Idem Bernardus comes, dum quondam in terra sua prelia multa et incendia et rapinas committeret, a Deo castigatus plagam debilitatis in pedibus incurrit, ut claudus utroque pede in sporta multis diebus portaretur. Unde compunctus religionem Cysterciensis ordinis assumpsit et aliquot annis religionem discens et litteras auctoritatem a domno papa verbum Dei predicandi et in Lyvoniam proficiscendi accepit et, ut ipse sepius retulit, accepta cruce ad terram beate Virginis statim consolidate sunt plante eius et recepit sanitatem pedum et in primo adventu eius in Lyvoniam in Dunemunde consecratus est in abbatem et postmodum Semigallorum episcopus effectus est.

5. DE MENSURA STATUTA PRO DECIMA. Lyvones quoque post bellorum multa incommoda tam de adventu episcoporum quam de victoria inimicorum suorum letificati conveniunt de Duna et de Thoreyda et omnibus finibus Lyvonie, supplicantes episcopis et petentes iura christianorum et maxime decimam sibi alleviari, promittentes tam in bellis contra paganos quam in omnibus causis christianitatis perpetuam fidelitatem. Quorum verbis annuentes episcopi suggerunt episcopo Rigensi, quatinus voluntati eorum satisfaciat, ut eos sibi fideles semper acquirat. At ille paterna pietate suos fovere desiderans et eciam forcia bella gencium in circuitu imminencia considerans pro decima mensuram quandam modii, qui esset decem et octo digitorum, de quolibet equo annuatim solvendam ad petitionem ipsorum instituit et quatuor episcoporum privilegiis sigillando confirmavit; ita tamen, ut, si quando fidelitatis sue obliti infidelium se consiliis inmisceant et ritibus paganorum baptismi sui sacramentum inficiant, ad decimas solvendas et cetera iura christianitatis deinceps integraliter teneantur.

6. Hiis itaque dispositis presul Albertus relictis tribus episcopis in Lyvonia et quarto tunc consecrato vice sua commissa rediit in Theuthoniam pro peregrinis et que necessaria erant in futurum annum colligendis, ne quando cessantibus peregrinis magis periclitetur ecclesia Lyvonensis.

7. DE SECUNDA OBSIDIONE CASTRI BEVERIN. Saccalanenses interim et Ugaunenses, adhue sani et incolumes, exercitum magnum convocant et Lettorum provincias intrantes et per silvarum latibula ipsos exagitantes plures ex cognatis et amicis Russini comprehendentes interficiunt et in Tricatua Thalibaldum et provincias circumiacentes despoliantes iuxta castrum Beverin congregantur. Et obsidentes castrum et pugnantes per totam diem cum Lettis et ignem copiosum comportantes, tandem: “Numquid”, inquiunt, obliti estis interfectorum vestrorum ad Ymeram, ut adhuc pro pace facienda nobis non supplicetis? At illi: Numquid non estis et vos iam memores seniorum vestrorum et innumerabilium aput Thoreydam interfectorum, ut nobiscum unum Deum credatis et baptismum cum pace perpetua recipiatis? Quo audito indignati sunt et divertentes de castro cum rapina celeriter in terram suam redierunt.

DE EXPEDITIONE IUXTA MARE, QUE DICITUR PROFUNDA, IN SACCALAM. Lettorum vero de Beverin seniores Dote et Paike euntes Rigam contra Saccalanenses suppliciter auxilium postulabant. Et surgentes peregrini cum fratribus milicie et Theodericus, frater episcopi, et Caupo cum Lyvonibus universis et Bertoldus de Wenden cum Lettis, et congregantes exercitum magnum in Metsepole processerunt ad mare et ibant itinere trium dierum iuxta mare et post hec convertentes se versus provinciam Saccalanensium profecti sunt tribus diebus per silvas et paludes via pessima, et defecerunt equi eorum in via et ceciderunt fere centum ex eis et mortui sunt; et tandem septimo die pervenerunt ad villas et diviserunt se per omnem terram et viros, quos invenerunt, interfecerunt et universos parvulos et iuvenculas capientes et equos et pecora ad villam Lambite, ubi fuerat maia, id est collectio eorum, compulerunt, et sequenti die miserunt Lyvones et Lettos per tenebrosa nemorum latibula, ubi se abscondentes latebant Estones, et invenerunt quam plures viros et mulieres et extrahentes cos de silvis cum omni substantia et viros interficientes, cetera ad maias assportaverunt. Et ibant duo Letti, Dote et Paike, in villam, et repente irruerunt super eos novem Estones et pugnabant cum eis per totam diem, et Letti plures ex eis vulnerantes et interficientes tandem et ipsi ceciderunt. Die tercio forciores de exercitu transeuntes Palam flumen despoliaverunt totam provinciam illam, que dicitur Nurmegunde, et incendentes villas omnes et viros occidentes mulieres et equos et pecora tulerunt et usque in Gerwiam pervenerunt. Nocte revertentes et ludum cum clamore magno et clypeorum percussione facientes, sequenti die castrum incenderunt et alia via redeuntes et omnem rapinam equaliter inter se dividentes cum gaudio reversi sunt in Lyvoniam.

DE PESTILENCIA. Et facta est pestilencia magna per universam Lyvoniam, et ceperunt homines egrotare et mori, et mortua est maxima pars populi, incipiens a Thoreyda, ubi cadavera paganorum iacebant inhumata, usque in Methsepole, et sic in Ydumeam usque ad Lettos et Wenden; et mortui sunt seniores, qui et dicebantur Dabrelus et Ninnus, et alii multi. Similiter in Saccala et in Ungaunia facta est plaga mortis magne et in aliis terminis Estonie; et multi, qui gladiorum percussionem fugientes evaserunt, amare mortis pestem evadere non potuerunt.

DE DIVERSIS EXPEDITIONIBUS LETTORUM IN UGAUNIAM. Letti autem iterum Bevernenses euntes in Ugauniam cum paucis Estones pro victualibus ad villas redeuntes comprehenderunt, quicquid masculini sexus erat occiderunt, mulieribus pepercerunt et secum deduxerunt, spolia multa tulerunt. Et domi redeuntibus per viam alii Letti occurrerunt iterum in Ugauniam euntes; quod illi reliquerunt, isti tollunt, quod illi neglexerunt, isti restaurant, qui ab illis evaserunt, ab istis occiduntur, ad provincias et villas, ad quas illi non pervenerunt, isti subsequuntur et rapientes spolia multa et captivos revertuntur. Et revertentibus illis per viam iterum alii Letti occurrunt et euntes in Ugauniam, quidquid a prioribus minus plene actum est, ab hiis integraliter suppletur. Nam viros omnes, quos comprehendunt, interficiunt, divitibus et senioribus non parcunt, sed omnes in ore gladii condempnant. Russinus autem, sicut et alii, in ultionem amicorum suorum omnes, quos comprehendit, alios vivos assavit, alios alia crudeli morte interfecit.

[D]E EXPEDI[T]IONE IN ALIS [T]E. Redeuntibus quoque illis in castra sua iterum alii Letti de Beverin, surgentes cum paucis et transeuntes per nemora in Saccalanensem provinciam, que Aliste vocatur, et invenientes omnes in domibus suis, percusserunt eos a magno usque ad minorem et interficientes multos ex eis mulieres et equos et pecora tulerunt et inter se cum omni rapina diviserunt. Unde territi Alistegunde simul et alii Saccalanenses miserunt nuncios

suos in Rigam et positis pueris suis obsidibus pacem receperunt, simul et baptismi sacramentum accepturos se promittunt.

DE EXPEDITIONE TRANS FLUMEN. Theodericus quoque, frater episcopi, cum servis suis et Bertoldus de Wenden colligentes exercitum hyeme iam redeunte vadunt in Ugauniam et invenientes totam terram a Lettis vastatam et castrum Tharbatense desertum, a Lettis eciam quondam incensum, transeunt flumen, quod dicitur Mater Aquarum, et intrantes villas et paucos invenientes procedunt ad silvas, ubi in nemore densissimo pagani indaginem quandam fecerant et arbores magnas circumquaque succiderant, ut veniente exercitu se et bona sua ibi salvarent.

DE INDAGINE PAGANORUM CAPTA. Appropinquante igitur exercitu christianorum audacter occurrunt et diutissime se defendentes propter difficultatem vie, tandem multitudini resistere non valentes dorsa vertunt et silvas petunt. Sed alij fugientes persequuntur et comprehensos interficiunt, mulieres et parvulos captivos duxerunt, equos et pecora multa depellunt, bona multa diripiunt. Nam de tota illa provincia ibi confugerant et bona sua omnia secum habebant. Et divisis spoliis omnibus inter se cum captivis in Lyvoniam redierunt.

DE EXPEDITIONE MAGNA PRIMA IN GERWAM. Celebrata vero Dominice nativitatis solempnitate, cum frigoris instat asperitas et viarum congelantur profunditates, mittentes episcopi per omnia castra Lyvonie et per omnes provincias Lettorum, ut veniant cum Theuthonicis in expeditionem, et mittentes milites suos cum peregrinis et fratribus milicie collectionem exercitus aput castrum Beverin statuerunt. Et ibat episcopus Theodericus Estiensis cum eis et celebrata epyphania Domini processerunt in Ugauniam, et erant circiter quatuor milia Theuthonicorum, peditum simul et equitum, et Lyvonum et Lettorum alia totidem. Et ibant in provinciam Tharbitensem et transeuntes Matrem Aquarum venerunt ad indaginem, quam ante christiani destruxerant, et quiescentibus ibi peregrinis Lyvones et Letti et qui erant velociores de exercitu processerunt in Waigam et despoliantes totam provinciam aput castellum Somelinde se congregaverunt, Sequenti die venerunt ad suos in Waiga et quiescentes tribus diebus totam terram in circuitu despoliaverunt et domos et villas flammis tradiderunt et multos capientes, multos interficientes spolia multa tulerunt. Et quarto die procedentes in Gerwam diviserunt exercitum per omnes provincias ac villas et multos de paganis comprehendentes occiderunt et mulieres et parvulos captivos duxerunt et pecora multa et equos et spolia rapientes et in villa, que Carethen vocatur, congregationem suam habentes omnia, que in circuitu erant, incendio vastaverunt. Erat autem tunc villa Carethen pulcherrima et magna et populosa, sicut omnes ville in Gerwen et in tota Estonia fuerunt, que postmodum omnes sepius a nostris vastate et incense sunt. Post triduum revertentes cum omni rapina villas ac provincias adiacentes incenderunt, Mocham videlicet ac Normegundam, et sic tandem ad stagnum, quod Worcegerwe vocatur, devenerunt et in glacie euntes in Lyvoniam cum gaudio redierunt.

8. DE EXPEDITIONE RUTHENORUM. Audiens itaque rex magnus Nogardie, Mysteslawe, exercitum Theuthonicorum in Estonia, surrexit et ipse cum quindecim milibus virorum et abiit in Waygam et de Wayga processit in Gerwam et non inventis Theuthonicis progressus est in Harien et obsedit castrum Warbole et pugnavit cum eis per dies aliquot; et promiserunt ei castrenses, ut recederet, septingentas marcas nagatarum, et reversus est in terram suam.

9. DE MISSIONE SACERDOTIS SALOMONIS IN SACKALAM. tEt predicans eis verbum salutis, quosdam ex eis baptizavit. Sed Saccalanenses et Ugaunenses audientes exercitum

Ruthenorum in Estonia congregaverunt exercitum de omnibus provinciis suis, Salomon ergo sacerdos, ut audivit congregationem ipsorum, divertit a castro cum suis et cogitavit redire in Lyvoniam.

DE SACERDOTIS INTERFECTIONE SOCIORUMQUE EIUS. Lembito vero de Saccala assumpta turba Estonum persequutus est sacerdotem et inventum nocte interfecit et Theodericum et Philippum interpretes suos cum quibusdam aliis, qui omnes pro fide Christi occubuerunt et in martyrum, ut speramus, consorcium transmigraverunt. Erat autem Philippus idem de gente Lettonum et in curia episcopi enutritus et adeo fidelis effectus, ut interpres ad ceteras gentes docendas mitteretur, et sicut martyrii particeps factus est, sic et beatitudinis eterne compos fieri meruit.

10. Lembito vero post interfectionem istorum reversus est ad exercitum suum, et Ruthenis existentibus in Estonia ipsi interim in Rusciam abierunt et intrantes civitatem Plicekowe ceperunt occidere de populo, et facto strepitu quodam cum clamore a Ruthenis ipsi repente cum spoliis et cum captivis quibusdam fugientes redierunt in Ungauniam, et Rutheni reversi invenerunt civitatem suam despoliatam.

11. DE PACE ITERUM FACTA CUM ESTONIBUS. Tune Lyvones et Letti et Estones propter pestilenciam et famem, que indurabant super eos, bellorum incommode fastidientes miserunt nuncios in invicem et exclusis Rigensibus fecerunt pacem, Et cessantibus bellis confestim fames hominumque cessavit mortalitas.

12. DE REVERSIONE EPISCOPORUM IN THEUTHONIAM. Post hec resoluta glacie maris et Dune reversi sunt in Theuthoniam episcopus Verdensis et Padelbornensis cum peregrinis suis, et remansit in Riga Philippus Raceburgensis episcopus. Qui inter summos fuerat in curia imperatoris Ottonis et, cum sententia excommunicationis contra eum lata fuisset, ipse ob vitandam presenciam ipsius usque in quartum annum in Lyvonia peregrinatus est.

13. Post quorum discessum Rutheni de Plecekowe indignati contra Woldemarum regulum suum, eo quod filiam suam fratri episcopi de Riga tradiderit in uxorem, expulerunt eum de civitate cum familia sua. Qui confugiens ad regem de Plosceke parvam ab eo consolationem accepit, unde Rigam descendens cum viris suis a genero suo et familia episcopi honorifice susceptus est.

XVI

1. DE ANNO XIIII. Annus erat dominice incarnationis millesimus ducentesimus duodecimus et antistitis quartus decimus, de cuius adventu cum peregrinis gaudebat ecclesia Lyvonensis. Et occurrerunt ei omnes una cum rege Woldemaro excipientes eum cum Dei laudibus; et dedit episcopus regi benedictionem et munera in caritate de omnibus, que adduxerat de Theuthonia, et pietatis studio sufficienter in omnibus ipsi fecit ministrari.

DE EXPEDITIONE ESTONUM IN COYWEMUNDE ET DE PACE RENOVATA USQUE IN TERCIUM ANNUM. Estones vero de omnibus Maritimis provinciis convenerant cum exercitu magno et residebant in Coiwemunde, habentes secum Isfridum, nuncium Rigensium, quem audito episcopi et peregrinorum adventu diversis penis cruciatum in Rigam remiserunt. Et ipsi fugientes in terram suam redierunt. Unde Lyvones et Letti missis nunciis in Estoniam de pace, quam inter se fecerant, renovanda suaserunt. Et gavisi sunt Estones et remiserunt cum

eis viros suos in Thoreydam, et vocatus est episcopus cum fratribus milicie et senioribus de Riga, et convenerunt cum nunciis Estonum requirentes, que iusta sunt et que tantorum sit causa bellorum. Et post multas verborum contentiones tandem facta est pax ad tres annos per omnia, relictis tamen Saccalanensibus usque ad fluvium Palam in episcopi et Theuthonicorum potestate, ut, qui datis obsidibus fidem se christianam accipere promiserunt, integraliter iure baptismatis suscepto gaudeant et christianitatis. Unde facta pace cum Estonibus cessavit tam in Riga quam in Lyvonia et Estonia hominum mortalitas, non tamen quievit a bellis, Nam Lyvones quidam perfidi, qui erant adhuc filii sanguinarii, lacerantes ubera matris ecclesie querebant omne consilium, qualiter fratres milicie, qui erant in Sygewalde, dolo tenerent et defraudarent, ut ipsis eiectis de terra facilius familiam episcopi cum aliis Theuthonicis expellerent.

2. DE CONVENTIONE REGIS DE PLOSCEKE CUM EPISCOPO RIGENSI ET PACIS RENOVATIONE. Rex interim de Plosceke mittens vocavit episcopum, diem prefigens et locum, ut ad presenciam ipsius aput Gercike de Lyvonibus quondam sibi tributariis responsurus veniat, ut et sibi colloquentes viam mercatoribus in Duna prepararent securam et pacem renovantes facilius Letonibus resistere queant. Episcopus vero assumptis secum viris suis et rege Woldemaro cum fratribus milicie et senioribus Lyvonum et Lettorum ascendit in obviam regi. Et ibant cum eo mercatores in navibus suis, et induerunt se omnes armis suis, precaventes insidias Letonum ex omni parte Dune. Et venientes ad regem ceperunt ea, que iusticia dictabat, cum eo retractare. Rex vero modo blandiciis, modo minarum asperitatibus episcopum conveniens, ut a Lyvonum baptismate cessaret, rogavit, affirmans in sua esse potestate, servos suos Lyvones vel baptizare vel non baptizatos relinquere. Est enim consuetudo regum Ruthenorum, ut quamcunque gentem expugnaverint, non fidei christiane subicere, sed ad solvendum sibi tributum et pecuniam subiugare. Sed episcopus magis Deo obediendum iudicavit quam hominibus, magis regi celesti quam terreno, secundum quod ipse in ewangelio suo precipit, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et ideo se neque ab incepto desistere neque predicationis officium a summo pontifice sibi iniunctum negligere constanter affirmavit. Sed neque regi tributa sua dari prohibebat, secundum quod Dominus in ewangelio suo iterum ait: Reddite, que sunt cesaris, cesari et, que sunt Dei, Deo, quia et ipse episcopus versa vice quandoque eundem censum eciam regi pro Lyvonibus persolverat. Lyvones autem nolentes duobus dominis servireto, tam Ruthenis videlicet quam Theuthonicis, suggerebant episcopo in omni tempore, quatinus eos a iugo Ruthenorum omnino liberaret. Sed rex verborum iustis rationibus non acquiescens, tandem indignatus est et omnia castra Lyvonie simul et ipsam Rigam se flammis tradere comminatus exercitum suum de castro iussit exire et cum Theuthonicis bellum inire simulans ordinavit omnem populum suum in campo cum sagittariis suis et appropinquare cepit ad eos. Unde viri omnes episcopi cum rege Woldemaro et fratribus milicie et mercatores indutis armis suis audacter regi in obviam processerunt. Et cum congrederentur, Iohannes, ecclesie beate Marie prepositus, et rex Woldemarus cum aliis quibusdam inter media agmina transeuntes regem commonitum habebant, ne bellis suis novellam turbaret ecclesiam, ne et ipse cum populo suo turbaretur a Theuthonicis, qui erant omnes fortes in armis suis et habebant desiderium magnum cum Ruthenis pugnandi. Quorum audaciam veritus rex exercitum suum redire iussit et transiens ad episcopum et tamquam patrem spiritualem salutans veneratus est; similiter et ipse tamquam filius. ab eo receptus est. Et commanentes ad tempus verborum interloquutionibus omnia, que pacis erant, diligenter inquirebant.

DE PACE FACTA CUM REGE ET LYVONIA LIBERA RELICTA. Unde tandem rex Dei fortassis edoctus instinctu Lyvoniam totam domno episcopo liberam reliquit, ut pax inter eos perpetua firmaretur tam contra Letones quam contra alios paganos et via mercatoribus in Duna semper libera prestaretur. Et his peractis rex cum mercatoribus et cum omni populo suo Dunam ascendens et reversus est in Ploceke civitatem suam cum gaudio. Sed et episcopus cum omnibus suis maiori gaudio descendens, rediit in Lyvoniam.

3. DE CONTENTIONE LETTORUM CUM FRATRIBUS MILICIE ET DE CONIURATIONE LYVONUM CUM LETTIS. Post horum reversionem orta est contentio magna inter fratres milicie de Wenden et Lettos de Autine, qui tunc erant in sorte episcopi, de agris et arboribus apum. Et lesis quibusdam Lettis a fratribus, pervenit ad episcopum querimonia, et surrexit domnus episcopus cum venerabili domno Philippo Raceburgensi episcopo et convocavit fratres milicie cum Lyvonibus et Lettis ad placitum, ut sedando litem ad pristinam eos concordiam revocaret. Et litigantes verborum altercationibus duobus diebus nullam inter eos pacis reconciliationem adinvenire. potuerunt. Unde Lyvones et Letti recedentes a Theuthonicis inter se coniuraverunt et gladiorum calcatione coniurationem suam pagano more confirmaverunt. Quorum primus erat Caupo, cuius verba erant in hunc modum, ut numquam a fide Christi recederet, sed ut pro Lyvonibus et Lettis ad episcopum intercederet, ut eis iura christianitatis alleviarentur. Sed ceteri omnes intentionem suam non curantes, contra fratres milicie coniurantes Theuthonicos omnes et nomen. christianum de terra Lyvonum expellere cogitabant. Quo viso reversi sunt episcopi et fratres milicie cum omnibus amicis suis, qui venerant cum eis, unusquisque in munitionem suam

DE CONSPIRATIONE ET CONFEDERATIONE LYVONUM THOREDENSIUM CONTRA NOMEN CHRISTIANUM ET CONTRA RIGENSES. Tunc congregati sunt Lyvones de Sattesele in castrum suum et mittentes ad Lenewordenses et Holmenses et Thoredenses et ad omnes Lyvones et Lettos, ut haberent consilium. Et consenserunt eis omnes et ceperunt firmare omnia castra sua, ut collectis frugibus subito in castra recipiantur. Et innotuit sermo Danjeli de Leneworde, qui procurator erat ibidem advocacie, et misit et cepit omnes seniores Lyvones illius provincie, qui conscii erant consiliorum malorum, et proiecit eos in vincula et castrum eorum incendit.

DE INCENDIO CASTRORUM PERFIDORUM. Similiter Rigenses intelligentes cogitationes pessimas Holmensium, miserunt et destruxerunt summitatem castri ipsorum lapidei, quod primus eorum episcopus Meynardus edificaverat. Et mittentes in Thoreydam castrum Thoredensium fecerunt noctis silencio incendi, ne post collectionem ipsorum in castro bella contra Rigenses forciora pararent. Unde post incensionem castrorum dissipatum est consilium perfidorum. Lyvones vero Satteselenses, iam dudum in castrum suum recepti, bellum contra fratres milicie in Sygewalde inchoantes ceperunt familiam ipsorum persequi et occidere quosdam ex eis. At illi exeuntes de castello Sygewaldensi, quod noviter edificaverant, et effugabant eos occurrentes eis et persequentes eos occiderunt ex eis. Lyvones quoque plures et forciores prioribus iterum obviantes illis et persequentes eos et interficientes ex eis repulerunt eos in castellum suum. Et in hunc modum diebus aliquot contendebant. Et audivit episcopus litem ipsorum et missis nunciis causam belli ipsorum requirebat. Et venerunt nuncii Lyvonum Rigam et querimonias multas de Rodolfo magistro fratrum milicie proponentes agros et prata et pecunias sibi ablatas referebant. Et misit episcopus Alebrandum sacerdotem, qui eos baptizaverat, cum aliis quibusdam, et euntes frusta laborabant nec litem ipsam determinare valebant. Ipse eciam episcopus cum Philippo Raceburgensi Thoreidam veniebat et vocatis

Lyvonibus cum fratribus milicie causas ipsorum audiebat. Et Lyvones cum armis suis trans flumen sedebant et Theuthonicis loquebantur et in multis fratres milicie accusabant. Et promisit episcopus restitutionem omnium iniuste ablatorum. De hiis vero, que pro excessibus corum acceperant, sicut ea iuste demeruerunt, ita nec restitui promittebantur. Et prudentum virorum consilio pueros ipsorum episcopus obsides requirebat, ne a fide christiana recederent. Sed ipsi nec obsides dare nec episcopo nec fratribus milicie obedire, sed fidem christianam cum Theuthonicis omnibus extirpare de terra cogitabant. Quod intelligentes episcopi Rigam redierunt. Sed sequens. cum lacrimis supplicabat, ut iterum mitteretur episcopus Raceburgensis cum preposito, si forte quiescerent et salutaris adhuc doctrine monita reciperent. Et missus est Philippus Raceburgensis cum preposito Iohanne et Theoderico fratre episcopi et Caupone et aliis quam. pluribus ad ipsos Lyvones. Et consederunt omnes cum Lyvonibus ante castrum ipsorum, retractantes que pacis erant et iusticie. Sed quidam ex ipsis venientes post tergum et mendaciter nunciabant fratres milicie cum exercitu provinciam spoliare. Unde cum clamore magno ac strepitu rapientes prepositum et Theodericum fratrem episcopi et Gerhardum advocatum et milites et clericos cum servis omnibus traxerunt in castrum et verberantes eos in custodiam posuerunt. Et volebant episcopum rapere; sed prohibebat eos et comminabatur eis sacerdos ipsius et interpres Henricus de Lettis. Cessante vero clamore et insania eorum rogavit episcopus prepositum suum cum omnibus aliis sibi restitui et minas pro huiusmodi illusione superaddidit. Et reducti sunt omnes, et monebat eos episcopus iterum atque iterum, ne baptismatis sacramenta contempnerent, ne christianitatis sue Deique culturam violarent, ne ad paganismum redirent, puerosque ipsorum duos vel tres obsides exigebat. At illi blande quidem respondentes obsides dare non curaverunt. Et ait episcopus: “O increduli corde et dura facie et lingua blandiloqua, cognoscite creatorem vestrum. Et ait, quid si forte quiescant et Deum verum cognoscant et ritus paganorum derelinquant. Nichil vero proficientes, sed quasi aerem frustra verberantes reversi sunt in Rigam, Et Lyvones non minus contra fratres milicie bellare ceperunt.

4. DE OBSIDIONE CASTRI SATTESELE ET EXPUGNATIONE EIUSDEM. Episcopus igitur Albertus zizaniam a tritico separare et mala in terra orta volens extirpare antequam multiplicentur, convocat peregrinos cum magistro milicie et fratribus suis et Rigenses et Lyvones, qui adhuc in sua steterunt fidelitate. Et conveniunt omnes et collecto exercitu magno et assumptis secum omnibus, que necessaria erant, procedunt in Thoreidam, obsidentes. castrum idem Dabrelis, in quo fuerunt Lyvones apostatantes, et non solum Lyvones fratrum milicie, sed et Lyvones episcopi de alia parte Coiwe, quorum princeps ac senior fuit Vesike. Et exeuntes Lyvones a castro a posteriori parte et quibusdam de exercitu lesis tollebant equos et spolia eorum et reversi sunt in castrum, dicentes: Confortamini, Lyvones, et pugnate, ne serviatis Theuthonicis. Et pugnaverunt, defendentes se diebus multis. Theuthonici vero patherellis munitionem castri destruunt, lapides multos et magnos in castrum proiciunt, homines et iumenta multa interficiunt, Alii sagittis Lyvones a defensione repellunt, ledentes ex eis quam plures, alii propugnaculum erigunt, quod nocte sequenti ventus in terram proicit, et clamor magnus fit et exultatio in castro, diisque suis secundum antiquas consuetudines honorem impendentes animalia mactant, canes et hircos immolantes ad illusionem christianorum in faciem episcopi et tocius exercitus de castro proiciunt. Sed frustratur omnis labor eorum. Nam propugnaculum forcius erigitur, turris lignea repente firmatur, ad fossatum desuper impellitur, castrum desubtus foditur. Russinus interea de castri summitate Bertoldum magistrum de Wenden, draugum suum, id est consocium, alloquitur, tollens galeam de capite et inclinans de munitione, pacis ac familiaritatis pristine verba proponens. Et subito a balistario

sagittam in caput suum recipiens cecidit et postea mortuus est. Fodientes itaque in vallo Theuthonici die ac nocte non requiescunt, donec ad summitatem castri appropinquant, donec vallum scinditur, donec munitio tota iam venire ad terram expectatur. Et videntes Lyvones altitudinem castri sui firmissimi iam ad yma declinare, consternati animo et mente confusi seniores suos, Assen cum ceteris, ad episcopum mittunt, veniam petunt, ut non occidantur supplicant. Episcopus vero, ut ad fidei sacramenta revertantur persuadet, vexillum suum in castrum mittit, quod ab aliis elevatur et ab aliis proicitur. Unde Asse ad tormenta ligatur, bellum innovatur, fit novissima pugna peior priore. Unde tandem tradentes se vexillum beate Marie sursum erigunt, episcopo colla sua subiciunt, ut parcatur eis suppliciter exorant, ut fidem Christi neglectam cicius recipiant, ut sacramentalia cuncta deinceps firmiter observent, ut ritus paganorum numquam amplius ad memoriam revocent. Misertus autem eorum episcopus exercitum prohibet, ne castrum subintrent, ne supplicantes interficiant, ne multorum animas gehenne tradant. Et obediens fideliter exercitus et reverenciam exhibens episcopo cessavit a bellis et pepercit infidelibus, ut fideles efficerentur. Et reversus est episcopus cum suis in civitatem suam, ducens secum Lyvonum eorundem seniores, ceteris iniungens, ut subsequantur ad baptismi sacramenta renovanda pacisque pristine tranquillitatem reformandam.

DE PACIS REFORMATIONE CUM LYVONIBUS. Et venerunt nuncii Lyvonum sequentes episcopum in Rigam, veniam petentes coram omni multitudine. Et ait episcopus: “Si renunciaveritis”, inquit, falsorum deorum cultibus et ex toto corde vestro ad unius Dei culturam reversi fueritis et satisfactionem dignam pro delictis vestris tam enormibus Deo et nobis impenderitis, tunc tandem pacem a vobis interruptam restaurabimus et vos in fraterne caritatis dilectionem recipiemus. At illi: Quid, inquiunt, a nobis, pater, satisfactionis requiris? Episcopus vero requisito consilio alterius episcopi, Raceburgensis, et decani Halverstadensis, qui tunc aderat, et abbatis et prepositi sui nec non et magistri fratrum milicie et aliorum prudentum suorum respondit eis, dicens: Pro eo, quod fidei sacramenta reiecistis et fratres milicie, dominos vestros, bello inquietastis et totam Lyvoniam ad ydolatriam retrahere voluistis et maxime in contemptum Dei altissimi et ad nostram et omnium christianorum illusionem hircos et cetera animalia diis paganorum immolantes in faciem nostram et tocius exercitus proiecistis, ideo modicam summam argenti, centum videlicet oseringos vel quinquaginta marcas argenti, ab omni provincia vestra requirimus; insuper fratribus milicie equos et armaturas suas et cetera eis ablata restituere tenemini. Quod audientes perfidi et adhuc satisfactionem nullam dare volentes reversi sunt ad suos, differentes et deliberantes aput se et dolos querentes, qualiter in bello rapta obtineant, qualiter episcopo nichil predicti iuris inpendant. Et mittunt alios meliores prioribus, et episcopo verba quidem plana referunt, sed fraudes in corde meditantur. Quorum perfidiam considerans. Alabrandus, primus eorum sacerdos, assumit eos seorsum, docens eos et dicens: Genimina vipperarum, qualiter effugere poteritis irum Dei, qui semper perfidie felle repleti estis et pro malefactis vestris nichil satisfacere vultis? Facite ergo fructus aliquos penitentie et, si vere ad Deum converti volueritis, Deus erit utique vobiscum, ut qui hactenus duplici corde et inconstantes fuistis, nunc sitis constantes in viis vestris, ut videatis auxilium Domini super vos Nondum enim fidei plenam habuistis constantiam, nondum decimarum vestrarum oblatione Deum honorare voluistis. Nunc vero supplicate domno episcopo, ut omnium vestrorum excessuum obliviscatur et in plenariam vobis remissionem peccatorum iniungat, quatenus sincere credentes in Deum omnia christianitatis iura recipiatis integraliter et decimas frugum vestrarum Deo et Dei servitoribus tribuatis, sicut et alie gentes omnes, que sancti baptismatis fonte sunt renate. Et augebit vobis Dominus novem partes reliquas, ut magis abundetis in rebus quam ante et in pecuniis. Et liberabit vos Deus ab aliarum gencium

impugnatione nec non et ab omnibus angustiis vestris. Talibus monitis salutaribus auditis gavisi sunt Lyvones et reversi in Thoreidam nunciaverunt omnibus verbum Alebrandi sacerdotis. Et placuit omnibus, eo quod nullam pecunie mulctam ad presens solvere cogerentur, sperantes in futuro anno cum Estonibus Theuthonicos iterum debellare. Et venerunt omnes seniores, qui remanserant sani, de castro Dabrelis nec non et Lyvones episcopi de alia parte Coiwe, Vesike cum suis, et alii de Metsepole in Rigam, rogantes episcopum, ut, sicut Alebrandus. edocuit, in fide Christi plenariter eos confirmet et pro malefactorum suorum satisfactione decimas annuatim eis iniungat persolvendas.. Et displicuit sermo iste tam in oculis episcoporum quam aliorum discretorum virorum, timentium ipsorum promissionem plenam esse omni fallacia et dolorum machinatione. Sed tamen supplicatione eorum importuna victus episcopus et maxime peregrinorum et tocius populi precibus assensum prebens, annuit petitioni eorum recepitque eos in filios et pace data promissionem eorum confirmavit, ut deinceps fiant fideles et decimas annuatim solvant.

5. Unde Lyvones de castro Dabrelis, sicut promiserunt, decimas solvunt annuatim, et custodivit eos Dominus hactenus ab omni impetu paganorum vel Ruthenorum. Lyvones vero episcopi ex misericordia ipsius et magna pietate mensuram hactenus pro decima solverunt. Ydumei quoque et Letti, qui ad bellum non venerunt nec fidei sacramenta violaverunt, mensuram primam a quatuor episcopis constitutam pro decima persolvunt annuatim usque in hodiernum diem. Sed qui ex eis ad idem bellum venerunt vel nuncios miserunt vel euntes in via redierunt vel saltem equos suos ad eundum sellaverunt, pecunia data suis advocatis satisfecerunt.

6. Venerunt eciam Letti de Autine Rigam, deponentes querimoniam ad episcopos contra fratres milicie de Wenden de lesione sua, insuper de arboribus suis ablatis. Et elegerunt arbitros, et data est sententia, ut Letti suas arbores apum iuramento dato reciperent in suam possessionem, fratres vero milicie agros iuramento optinerent et pro lesione data pecunia sufficienti Lettis satisfacerent.

7. Et transivit rex Woldemarus cum eisdem Lettis in Autine et fuit cum eis procurans advocaciam eorum, donec commutatione facta fratres milicie castrum Kukenois relinquerent integraliter episcopo et ipsi rursus Autine pro tercia parte Kukenois reciperent in suam possessionem. Et designata est Woldemaro advocacia Theoderici generi sui in Ydumea, Theoderico eunte in Theuthoniam.

8. Hoc tempore venerunt Letones in Kukenois, petentes pacem et viam ad Estones. Et data est pax et via concessa ad Estones nondum conversos. Et statim venientes cum exercitu transierunt per terram Lettorum pacifice et intrantes Saccalam comprehenderunt viros multos et occidentes eos tulerunt omnem substantiam eorum et mulieres et parvulos et pecora eorum rapientes secum abduxerunt. Et spolia multa asportantes reversi sunt via alia in terram suam. Et indignati sunt eis Theuthonici, eo quod Saccalam episcopo iam subditam spoliaverunt. Et respondentes quod verum erat, dixerunt Estones adhuc collo incedere erectos et nec Theuthonicis nec aliis gentibus obedire.

XVII

1. Anno consecrationis sue decimo quinto reversus est antistes. ecclesie Lyvonensis in Theuthoniam, commissa vice sua venerabili prememorato Raceburgensis ecclesie episcopo Philippo, qui devotissimus erat in religione et omni conversatione sua et oculis ac manibus in

celum semper intentus invictum ab oratione spiritum vix unquam relaxabat. Milites amando, clericos docendo, Lyvones et Theuthonicos magne pietatis caritate fovendo novam in gentibus ecclesiam summopere verbis et exemplis illuminavit. Et respiravit ecclesia diebus ipsius aliquantum a bellorum incommodis, licet essent timores intus et foris cottidie de Lyvonum et Estonum dolosis malarum cogitationum machinationibus, qui semper querebant mala contra Theuthonicos et Rigensem civitatem.

2. Letones autem pacem factam cum Theuthonicis non curantes venerunt ad Dunam et vocatis quibusdam de castro Kukenois lanceam in Dunam miserunt, paci ac familiaritati Theuthonicorum. contradicentes. Et congregaverunt exercitum magnum et transeuntes Dunam venerunt in terram Lettorum et despoliantes villulas occi derunt multos et pervenientes usque in Tricatuam Thalibaldum, seniorem illius provincie, ceperunt et Waribule filium ipsius et transeuntes Coiwam aput Ymeram homines in villis suis invenerunt et capientes et interficientes ex eis, subito reversi sunt cum omni preda sua. Et videns Rameko, quod captivus duceretur pater ipsius et frater, surrexit cum Lettis omnibus simulque cum eis Bertoldus de Wenden cum fratribus milicie, et sequebantur post cos. Et cum appropinquaret ad eos timuit Rameko patris sui interfectionem, si post tergum bellum eis inferret, [et] circumduxit eos via alia, Sed intelligentes hoc Lettones festinanter fugerunt et evaserunt ab eis. Postquam autem transita Duna terre sue confinia adirent, effugit ab eis Thalibaldus et decem diebus panem non comedens letus reversus est in patriam suam.

3. Eo tempore Daugeruthe, pater uxoris regis Vissewalde, cum muneribus multis ibat ad regem magnum Nogardie, pacis cum co federa componens. Qui in reversione sua captus est a fratribus milicie et ductus est in Wenden et proiectus in vincula, Et tenebatur ibidem diebus multis, donec venirent quidam de Letonia de amicis eius ad eum. Post hec gladio se ipsum perforavit.

4. Interim Woldemarus, advocatus Ydumeorum et Letiorum, multa metebat, que non seminaverat, ludicans iudicia et causas corum, et cum non placerent episcopo Raceburgensi et eciam omnibus aliis sua iudicia, ipse tandem desiderium implendo multorum abiit in Rusciam.

5. Milites eciam de Kukenoys et Letti sepius codem tempore Selones et Lettones despoliantes, villas et confinia corum vastaverunt, et alios interficientes, alios captivos ducentes et in via frequenter insidiantes, multa eis mala intulerunt. Unde Lettones colligentes exercitum venerunt trans Dunam in provinciam Lenewordensem et comprehenderunt Lyvones in villis et occiderunt ex eis et mulieres et parvulos et pecora secum minantes et spolia multa tulerunt et seniorem ipsius provincie Uldewene captivum deduxerunt, Supervenit autem Volquinus milicie Christi magister, cuius fratres cum mercatoribus Dunam ascenderant.

DE FUGA LETONUM. Persequebatur itaque magister Letones cum paucis et invasit eos post tergum et pugnavit cum eis; et cecidit princeps ac senior Lettonum et occisus est et multi cum eo, et ceteri fugerunt et evaserunt, qui in prima fuerunt acie, et Uldewene secum deduxerunt. Pro cuius redemptione postea datum est capud eiusdem Lettonis occisi, ut saltem capite recepto debitas post eum celebrarent cum potationibus more paganorum exequias.

6. Hyeme sequenti Woldemarus cum uxore et filiis et omni familia sua reversus est in Lyvoniam, et receperunt eum Letti cum Ydumeis, licet non multum gaudentes, et miserunt ei sacerdotes Alabrandus et Henricus annonam et munera. Et sedit in castro Metimne, judicans iudicia et colligens de provincia, que sibi fuerunt necessaria.

DE INTERFECTIONE STECSE, REGULI LETONUM, SOCIORUMQUE EIUS. Et venerunt iterum Letones trans Dunam cum comitatu suo, et erat cum eis dux et princeps eorum Stecse, de cuius adventu gaudebant Theuthonici. Et convenerunt omnes simul, Bertoldus de Wenden cum fratribus suis, vocantes secum Woldemarum regem cum aliis Theuthonicis et Lettis. Et occurrerunt eis, ponentes insidias in via, et irruerunt super cos, occidentes ducem corum Stecse predictum et alios quam plures, et ceteri fugerunt, ut verbum domi nunciarent. Et siluit ecclesia diebus paucis.

XVIII

1. DE ANNO XVI. Annus erat pontificis sextus decimus, et rediit in Lyvoniam cum peregrinis multis, inveniens ecclesiam pacis quodammodo quiete gaudentem et episcopum venerabilem predictum Raceburgensem eandem vice sua regentem. Et dispositis omnibus, que disponenda erant, iterum festinavit in Theuthoniam, ut facilius ad concilium Romanum venire posset in sequenti anno, quod erat iam duobus annis indictum, relinquens prefatum episcopum in domo et in expensa sua in Riga. Et uxor Woldemari erat et omnis familia eius ibidem, cui ministrabant omnes in caritate.

2. Ipse autem Woldemarus in Ydumea et in Letthia colligebat res et pecunias, iudicia iudicans civilia. Et occurrens ei Alebrandus, sacerdos Ydumeorum, dixit ei: “Oportebat te”, inquit „rex, qui index hominum esse meruisti, tudicia iusta ludicare et vera, non opprimendo pauperes nec res eorum auferendo, ne neophitos nostros conturbando magis a fide Christi faceres deviare”. Et indignatus est rex et comminatus Alabrando ait: Oportebit me, Alebrande, divicias et habundancias domus tue minuere. Nam et exercitum magnum regum Ruthenorum postea duxit in domum suam et omnia vastavit, sicut infra dicetur, Et post modicum tempus cum omni familia recessit in Rusciam.

3. DE EDIFICATIONE CASTRI VREDELANT. Post hoc episcopus Philippus Raceburgensis cum peregrinis et Gerhardo advocato transivit in Thoreidam et edificavit castellum episcopo, quod et Vredelande appellavit, quasi terram pacificans, sperans per idem castrum terram pacificari et sacerdotum et omnium virorum suorum ibi esse refugium. Et venerunt ibidem ad eum filii Thalibaldi de Tolowa, Rameke cum fratribus suis, tradentes se in potestatem. episcopi, promittentes se fidem christianam a Ruthenis susceptam in Latinorum consuetudinem commutare et de duobus equis mensuram annone per singulos annos persolvere, eo quod tam pacis quam belli tempore semper tuerentur ab episcopo et essent cum Theuthonicis cor unum et anima una et contra Estones et Letones corum semper gauderent defensione. Et recepit eos episcopus cum gaudio, remittens cum eis sacerdotem suum, qui erat prope Ymeram, qui eis fidei sacramenta ministrando discipline christiane daret inicia.

4. DE SECUNDA EXPEDITIONE IN GERCEKE. Milites interea de Kukenoys, Meynardus, Iohannes, Iordanus cum aliis, incusantes Wyssewaldum regem de Gercike, eo quod non veniret ad episcopi patris sui presenciam iam pluribus annis, postquam regnum suum ab eo recepit, sed Letonibus consilium et auxilium omni tempore preberet, et citantes eum ad satisfactionem sepius invitabant. Quod contempnens ille non venit neque responsalem misit. At illi requisito prius episcopi consensu simul cum servis suis et Lettis convenerunt et ascenderunt prope Dunam cum servis omnibus. Et appropinquantes castro Gercike quendam ex Ruthenis comprehenderunt, quem ligantes traxerunt secum nocte ad castrum. Qui conscendens primus

fossatum, sicut iussus fuerat, cum vigile loquebatur, sequentibus aliis singillatim. Et putabat vigil suos cives, qui absentes fuerant, advenire. Et ascenderunt singuli, donec tandem omnes arcem munitionis tenerent. Et congregantes se simul omnes castrum in circuitu munitionis custodiebant et neminem Ruthenorum de castro exire permittebant, donec lucem diei viderent. Et facta luce descenderunt in castrum et rapuerunt omnia, que erant ibidem, et ceperunt multos et alios per fugam evadere permiserunt. Et tollentes spolia multa castroque derelicto reversi sunt ad propria, dividentes inter se omnia, que attulerunt.

5. DE PACE FINITA. Tercius annus erat, et pax cum Estonibus facta finem accepit. Et convocatis episcopus sacerdotibus omnibus et habito capitulo et consilio cum eis, simul et militibus et senioribus Lyvonum convocatis, deliberavit de expeditione facienda in Estoniam, eo quod non venirent nec pacis innovationem curarent, quin pocius semper destructionem Lyvonensis ecclesie desiderarent. Et misit episcopus per omnia castra Lettorum atque Lyvonum et de omni confinio Dune et Coiwe et congregavit exercitum magnum et fortem. Et erant in Riga peregrini et mercatores multi, qui omnes exiverunt cum leticia cum magistro milicie et fratribus suis, ponentes collectionem exercitus in Coiwemunde. Et venit episcopus cum eis ibidem et volebant quidam de Lyvonibus exercitum in Curoniam convertere. Sed adhuc non venit tempus, quo Deus illius gentis vellet misereri, Et facta benedictione episcopus reversus est in Rigam. Exercitus vero processit ad Saletsam, et venerunt in provinciam, que Sontagana vocatur. Et memores facti sunt Theuthonici verborum suorum et pacis, quam antea dederant provincialibus eisdem, et pacifice transeuntes eandem provinciam nichil mali eis intulerunt, nec homines de domibus suis fugantes nec fugientes persequentes, sed cum omni mansuetudine euntes, donec ad alias provincias pervenirent, qui numquam pacem cum Rigensibus facere curaverunt, putantes Rigenses ad suas partes tam remotas cum exercitu non posse pervenire. Et [erant] ex nostris circiter tria milia Theathonicorum et Lyvonum et Lettorum alia totidem. Et ibant in glacie maris, pretereuntes Saletsam, donec venirent quo desiderabant, scilicet in Rotaliam.

DE EXPEDITIONE IN ROTALIAM. Ubi cum venirent, diviserunt exercitum suum per omnes vias et villas et invenerunt omnes viros et mulieres et parvulos et omnes homines a magnis ad minores in villis suis nullis rumoribus de adventu exercitus premunitos, et percusserunt eos in ira sua et occiderunt viros omnes. Sed et Lyvones et Letti, qui sunt crudeliores aliis gentibus, nescientes tamquam servus ewangelicus conservi sui misererito, populum innumerabilem interfecerunt et nonnullos ex mulieribus et parvulis trucidantes per campos et villas nemini parcere voluerunt. Et omnes vias et omnia loca sanguine paganorum colorantes persequuti sunt eos ad omnes provincias circa latus maris sitas, que Rotelewic et Rotalia vocantur. Letti quoque cum aliis persequentes quosdam ex eis in glacie maris fugientes et comprehensos statim interfecerunt et res omnes et substantiam tulerunt. Et rapuerunt filii Thalibaldi tria Lyvonica talenta argenti, exceptis vestibus et equis et spoliis multis, que omnia retulerunt in Beverin. Similiter et omnis exercitus primo die et secundo et tercio fugientes Estones in omnibus locis insequuti sunt et interfecerunt hac et illac, donec fessi deficerent tam ipsi quam equi eorum. Tune tandem quarto die convenerunt simul omnes in unum locum cum omni rapina sua et compellentes equos et pecora multa et mulieres et parvulos et puellas ducentes secum et spolia multa cum gaudio magno reversi sunt in Lyvoniam, benedicentes Dominum pro vindicta facta in nationibus. Et confuse sunt gentes et fecerunt ploratum et ululatum magnum. Estonia quoque plorans filios suos consolari non potuit, quia et hic perditi sunt et in futura vita, et maxime pre multitudine interfectorum, quorum non erat numerus.

6. DE INCENDIO [IN] CIVITATE RIGENSI. Post hec in quadragesima factum est incendium magnum in civitate Riga intempeste noctis silencio. Et ardebat prima pars civitatis, primo videlicet edificata et primo muro cincta, ab ecclesia beate Marie, que conbusta est cum campanis maioribus, usque ad domum episcopi cum domibus adiacentibus usque ad ecclesiam fratrum milicie. Et contristatus est populus maxime de campana belli dulcisona et de dampno facto in civitate. Et fusa est alia campana maior priore.

7. DE EXPUGNATIONE CASTRI SACCALANENSIS. Postquam igitur fessi de expeditione quieverunt et vires pristinas tam ipsi quam equi eorum receperunt, aliam indicunt in quadragesima expeditionem. Et euntes Rigenses cum fratribus milicie convocant secum Lyvones et Lettos et procedunt in Sackalam, relinquentes post tergum castrum Viliende et despoliantes totam terram in circuitu, tandem apud castrum Lembitu, quod Leole vocatur, ex improviso congregantur. Estones vero, qui in castro erant, primis venientibus audacter occurrunt, timorem incuciunt. Sed illi colligentes se in unum suorum adventum exspectant et sequenti die ac tertio eastrum impugnantes lignorum struem super vallum comportant et ignem imponunt et vallum, quod erat ex lignis et terra conpositum, incendunt, et ignis gradatim ascendendo munitioni desuper appropinquat, Videntes itaque, qui erant in castro, vallum igne consumi et timentes castrum per hoc capi, pecuniam promittunt, ut a castro recedant. Theuthonici vero nichil aliud ab eis se requirere, nisi ut baptizentur affirmant et vero pacifico reconciliati fiant eorum fratres tam in hoc seculo, quam in futuro. Quod abhorrentes illi tradere se in manus ipsorum formidant. Sed Lyvones et Letti cum omni exercitu ignem adaugentes et combustionem et occisionem comminantur.

DE PACE DATA ET BAPTISMO EORUM. Illi vero vallo iam consumpto timentes occidi veniam suppliciter postulant, de castro exeunt, baptizari se promittunt. Assunt sacerdotes Iohannes Stric, Otto fratrum milicie sacerdos. Baptizatur Lembitu perfidissimus cum aliis omnibus tam mulieribus quam parvulis et viris, qui in castro erant, promittentes se christianitatis iura perpetua fidelitate custodire. Quam promissionem tamen postea perfidie sue dolis violaverunt. Exercitus interim castrum subintrans et bona cuncta diripiens, equos et boves cum omnibus pecoribus educens et spolia multa tollens et inter se dividens cum gaudio reversus est in Lyvoniam, adducens secum seniores eiusdem castri, Lembitum cum aliis, qui positis pueris suis obsidibus remissi sunt in terram propriam. Et benedixerunt omnes Dominum, qui mirabiliter tradidit castrum in manus eorum absque balistarum sive machinarum impugnationibus. Et pervenit nomen Christi eciam usque ad alias provincias.

8. DE MARTYRIO SACERDOTIS SOCIORUMQUE EIUS. Erat in castello Vredelant sacerdos quidam Cysterciensis ordinis, Fredericus de Cella, quem episcopus auctoritate domni pape ad opus assumpserat ewangelii. Qui in dominica Palmarum Dominice passionis mysteria multis lacrimis celebrans et exhortationis verbum de cruce Domini dulcibus monitis astantibus ministrans, et celebrata Dominice resurrectionis solempnitate, cum scolare suo et quibusdam aliis navigio Rigam descendere volebat. Et occurrentes ei in ore fluminis Osilienses irruerunt super eum et captum cum puero suo et Lyvonibus quibusdam eum deduxerunt in pyraticis suis et in Adya flumine litus ascendentes diversis eum ibi tormentis cruciaverunt. Cum enim in celum intentus orationum suarum ad Dominum cum scolare suo funderet laudes et gratiarum ageret actiones, ipsi caput et dorsum utriusque clavis suis percucientes, irridebant dicentes: “Laula! Laula! Pappi”, secundum quod scriptum est: Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Sed Dominus iustus concidet cervices eorum, sicut infra dicetur. Post hec acuentes ligna dura et sicca et incutientes inter ungues digitorum ipsorum et carnem et membratim et

punciatim laniantes ignem apposuerunt et crudeliter cruciaverunt. Et tandem securibus suis inter medium scapularum eos secantes interfecerunt et in martyrum consorcium animas corum absque omni dubio in celum transmiserunt, proicientes corpora eorum, sicut scriptum est: Carnes sanctorum tuorum bestiis terre, effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat, qui sepeliret. Lyvones quoque quosdam secum captivos deduxerunt in Osiliam, qui post reditum suum nobis omnia predicta retulerunt.

9. DE INTERFECTIONE MEYNARDI SOCIORUMQUE EIUS. Meynardus quoque de Kukenoys cum commilitonibus suis collegit iterum exercitum contra regem Wissewaldum de Gercike. Et audivit Wissewaldus et misit nuncios Letonibus, qui venerunt et exspectaverunt eos trans Dunam. Et nescientes eos illi, qui erant cum Meynardo, venerunt et ceperunt Gercike et tulerunt predam magnam et equos et pecora. Et apparuerunt Letones ex altero littore Dune rogantes, ut naves eis adducant, ut veniant ad eos pro pace renovanda. Quorum verbis fraudulentis nimium creduli simplices naves eis transmittunt. Et statim transeuntes Letones, et alii alios transducentes, plures et plures subsequuntur. Tandem omnis exercitus in Dunam se proiciens transnatare cepit ad eos. Quorum multitudinem videntes milites et eorum conflictum exspectare verentes, navigio quidam ex eis Dunam descendunt et sani in Kukenoys revertuntur, alii cum Lettis per viam redeuntes a Letonibus post tergum impugnantur; et videntes Letti suorum paucitatem in fugam convertuntur. Et pugnantes milites Meynardus, Iohannes et Iordanus et non valentes tanto exercitui resistere, ceciderunt tandem interfecti ab eis. Et audivit episcopus et Rigenses et lugebant eos dicentes: “Quomodo ceciderunt fortes in bello et interierunt arma bellica!”

XIX

1. DE ANNO XVI[I]. DE EXPEDITIONE OSILIENSIUM AD DUNAM. Annus erat presulis Alberti septimus decimus, et innovatum est bellum in omnibus Lyvonie confiniis. Nam post Rotaliensem expeditionem et Lembiti de Sackale subiugationem tota Estonia sevire cepit contra Lyvoniam, et consiliati sunt, ut una cum tribus exercitibus venientes destruant Lyvoniam, ut Osilienses Rigam obsideant et portum in Duna obstruant et Rotalienses Thoredenses Lyvones impugnent et Sackalanenses et Ugaunenses interim Lettorum terram devastent, ut Lyvones et Letti propriis bellis impediti Rigensibus in auxilium venire non queant.

2. Et venerunt Osilienses cum exercitu magno navali in Dunemunde, ducentes secum pyraticas et liburnas, et impleverunt eas lapidibus et dimiserunt in profundum maris in introitu fluminis et edificantes structuras lignorum et similiter implentes lapidibus in ore Dune proiecerunt, ut viam et portum advenientibus clauderent. Et quidam ex eis in liburnis suis ascenderunt ad civitatem et remigantes hac et illac tandem litus et campum apprehendunt. Et fratres milicie cum aliis de civitate stabant ad portam. Et quidam ex servis cum Lyvonibus hostes in campo videntes irruerunt subito super eos et occidentes ex eis persequuti sunt eos usque ad naves; et fugientibus eis una pyraticarum suarum concussa et submersa est cum omnibus, qui erant in ea, et ceteri evaserunt et redierunt ad suos in Dunemunde. Et surrexerunt Rigenses cum omnibus suis, quos habere potuerunt, et descenderunt post eos, alii navigio et alii per terram, Quos ut viderunt Osilienses, declinaverunt ab eis ad aliam partem Dune, non exspectantes bellum cum eis. Et subito Rigenses aspicientes a longe viderunt in mari duos coggones venientes, in quibus erant Borchardus comes de Aldenborch et fratres episcopi Rothmarus et Theodericus. Qui et appropinquaverunt ad Dunam et viderunt hostes coram se in littore maris

et in alio littore Rigenses et non cognoverunt, qui christiani erant; sed signum dabant eis Rigenses vexillorum demonstratione. Et ut cognoverunt eos, simul et hostium intellexerunt multitudinem, converterunt naves suas ad hostes et acceleraverunt ad eos. Et erant quidam de Rigensibus in navibus suis, qui et sequebantur eos post tergum in Duna; et alii in littore rerum eventum exspectabant. Videntes itaque hostes ab exercitibus christianorum undique se circumdari, fugerunt festinanter ad naves suas et dispersi sunt in mari per medium eorum et evanuerunt ab oculis eorum; et sequuti sunt Rigenses et aliquas naves abstulerunt ab eis; et ceteri evaserunt. Et susceperunt Rigenses peregrinos cum leticia et benedixerunt Dominum, qui et in hac presenti tribulatione consolatus est populum suum. Aqua vero fluminis meatum suum fortem liberum habere volens, simul et mare procellarum collisionibus opera eorum in profundum missa post-modum comminuit, nec non et Theuthonici quidquid remansit extrahentes destruxerunt et viam liberam omnibus Dunam intrare volentibus reddiderunt.

3. DE EXPEDITIONE ROTALIENSIUM IN LYVONIAM. Osiliensibus autem in Duna existentibus Rotalienses congregantes exercitum de suis Maritimis provinciis intraverunt Lyvoniam, in Methsepole despoliantes villas et incendentes, et neminem invenire potuerunt ex Lyvonibus, qui omnes cum mulieribus et parvulis suis ad castra confugerant. Et congregaverunt Lyvones congregationem suorum, ut inimicis occurrerent. Et audierunt Rotalienses eorum voluntatem simul et fugam Osiliensium suorum de Duna, fugerunt et ipsi et reversi sunt in terram suam.

DE EXPEDITIONE ESTONUM AD LETTOS. Venerunt quoque exercitu magno et obsederunt castrum Autine; et exiverunt fratres milicie de Wenden, volentes bellare cum eis, et intellexerunt ipsi verbum hoc et fugerunt eciam et ipsi. Et circa vesperam venientes interim Saccalanenses et Ugaunenses in terram Lettorum cum in Tricatuam invenerunt Thalibaldum de silvarum latibulis ad balnea rediisse et comprehenderunt eum et vivum crudeliter ad ignem cremaverunt, comminantes ei interitum, nisi pecuniam suam eis totam ostendat. Et ostendit eis oseringos quinquaginta. Sed illi non minus eum cremaverunt. At ille: “Si demonstravero vobis”, inquit, omnem pecuniam meam et filiorum meorum, non minus me cremabitis', et noluit eis amplius indicare. Unde iterum ponentes eum ad ignem tamquam piscem assaverunt, donec animam reddidit et mortuus est. Et quia christianus fuit et de fidelium Lettorum numero, speramus animam ipsius lete pro tanto martyrio in eterna leticia in sanctorum martyrum societate gauderet. Et reversi sunt Estones in terram suam, et ad nichilum redegit Dominus consilium eorum.

DE EXPEDITIONE LETTORUM AD ESTONES. Tunc filii Thalibaldi, Rameko et Drivinalde, videntes, quia mortuus est pater eorum, irati sunt contra Estones valde. Et colligentes exercitum Lettorum cum amicis et cognatis suis, et ibant cum eis fratres milicie de Wenden cum aliis Theuthonicis, et intraverunt Ugauniam, despoliantes villas omnes et flammis tradentes, et viros omnes, quos comprehendere potuerunt, vivos in ultionem Thalibaldi cremaverunt et castra omnia eorum incenderunt, ut nullum in eis refugium haberent. Et querebant eos in tenebrosis nemorum latibulis, et nusquam ab eis abscondere se potuerunt, et extractos de silvis interfecerunt et mulieres et parvulos eorum captivos secum deduxerunt et equos et pecora minantes spolia multa tulerunt et reversi sunt in terram suam.

DE DIVERSIS EXPEDITIONIBUS LETTORUM IN UGAUNIAM. Et redeuntibus in via Letti iterum alii occurrerunt et processerunt in Ugauniam, et quod alii neglexerant, isti suppleverunt. Nam ad villas et provincias, ad quas alii non venerant, isti pervenerunt, et

quicunque prius ab aliis effugerant, ab istis evadere non potuerunt. Et comprehenderunt multos et interfecerunt viros omnes et mulieres et parvulos captivos traxerunt et pecora et spolia multa secum deduxerunt. Et revertentes in via Lettos iterum alios obviam habent, paratos ad expeditionem in Ugauniam, qui et ipsi predam rapere cupiunt, in ultionem parentum et cognatorum suorum ab Estonibus quondam occisorum viros interficere querunt. Et procedunt in Ugauniam, non minus spoliantes quam prius, non minus captivantes quam priores. Nam venientes de silvis ad agros aut ad villas procibariis comprehendunt et alios igne cremantes, alios gladiis iugulantes diversis tormentis afficiunt, donec omnes pecunias suas eis aperiunt, donec ad omnia nemorum suorum latibula eos deducunt et mulieres et parvulos in manus eorum tradunt. Sed nec sic quidem mitigatur animus Lettorum, sed ablata pecunia et omni substantia, mulieribus et parvulis, ad ultimum caput, quod solum remansit, auferunt. Et pertranseuntes omnes provincias usque ad Matrem Aquarum in Darbeten nemini parcunt, sed quidquid masculini sexus est, interficiunt, mulieres et parvulos captivos trahunt et facta vindicta de inimicis suis leti cum omni preda sua domi revertuntur.

ITEM IN UGAUNIAM AD IDEM. Iterumque Bertoldus de Wenden cum suis et Theodericus frater episcopi cum militibus ac servis suis et filii Thalibaldi cum Lettis suis convenerunt in unum, et euntes cum exercitu in Ugauniam comprehenderunt multos de Estonibus, qui prius evaserant a Lettis, et interfecerunt eos et villas, que remanserant, incenderunt, et quidquid a primis minus actum est, ab istis diligenter adimpletum est. Et circuierunt omnes provincias et transeuntes Matrem Aquarum et usque ad Waigam pervenerunt et non minus terram illam, que erat trans flumen, depredantes et villas incendentes et viros interficientes, mulieres et parvulos ceperunt, et peractis omnibus malis, que potuerunt, reversi sunt in Lyvoniam. Et ordinaverunt iterum alios, qui redirent statim in Ugauniam et similia mala inferrent eis. Et redeuntibus illis iterum alii missi sunt, et non cessaverunt Letti neque requiem dabant Estonibus in Ugaunia. Sed nec ipsi requiem habebant, donec eadem estate novem exercitibus terram ipsam devastantes desolatam ac desertam ponerent, ut iam nec homines nec cibaria invenirentur. Cogitabant enim eos tam diu debellare, donec aut pro pace et baptismo venirent, qui residui erant, aut omnino eos exstirpare de terra. Et factum est, ut iam filii Thalibaldi numerum centenarium excederent, quos in ultionem patris sui aut vivos cremaverant aut aliis tormentis diversis interfecerant, exceptis aliis innumerabilibus, quos unusquisque Lettorum simul cum Theuthonicis et Lyvonibus interfecerant.

4. DE PACE DATA UGAUNENSIBUS ET FIDE RECEPTA. Videntes itaque, qui superstites adhuc remanserant in Ugaunia, quod a furore Theuthonicorum et Lettorum nusquam evadere possent, miserunt nuncios in Rigam, rogantes ea que pacis sunt. Et dictum est eis, ut bona quondam mercatoribus ablata restituerent. At illi raptores ipsorum bonorum a Lettis interfectos dicentes et nequaquam se restituere posse affirmantes causis omnibus sopitis baptizare se petunt, ut veram pacem et perpetuam Theuthonicorum atque Lettorum fraternam dilectionem consequantur. Et gavisi sunt Theuthonici et confirmantes cum eis pacem sacerdotes ad baptizandam Ugauniam mittere pollicentur. Et audientes Saccalanenses omnia mala Ugaunensibus illata, timentes, ne sibi similia contingerent, miserunt et ipsi postulantes, ut sacerdotes ad eos mitterentur, ut consummato in provincia ipsorum baptismate christianorum eciam efficerentur amici. Et missi sunt sacerdotes Petrus Kakuwalde de Vinlandia et Otto fratrum milicie sacerdos. Et perrexerunt in Saccale et consummaverunt baptismum usque ad

Palam et in Ugaunia usque ad Matrem Aquarum, Quo facto reversi sunt in Lyvoniam, nondum valentes cohabitare cum eis propter aliorum Estonum ferocitatem.

5. DE REDITU EPISCOPORUM IN THEUTONIAM ET DE MULTIS TRIBULATIONIBUS EORUM IN MARI. Episcopus autem. Raceburgensis cum episcopo Estiensi Theoderico festinans ad concilium Romanum, cum peregrinis euntibus in Theuthoniam mari se committens Gothlandiam properat cum novem coggonibus. Et nocte sequenti factus est ventus contrarius eis cum tonitru; et per totam diem passi tempestatem magnam, depulsi sunt tandem in portum novum in Osilia, Quos ut cognoverunt Osiliani de Riga venisse, comminabantur eis bellum. Et mittentes per totam Osiliam congregaverunt exercitum magnum navalem. Et alii in equis venientes in littore maris structuras lignorum edificabant, implentes eas lapidibus, portum, cuius aditus strictus erat, obstruere nitentes, ut concluso portu caperent omnes et interficerent, Theuthonici vero in cymbis suis, id est minoribus navibus, exeuntes ad litus segetes per agros gladiis suis metebant, nescientes exercitum in vicino littore; et in alio littore per singulos dies idem faciebant. Tandem Osilienses positis insidiis octo ex eis comprehenderunt et aliis occisis alios captivos deduxerunt et cimbam unam abstulerunt. Unde nimium confortati miserunt ad omnes provincias Estonie, dicentes se episcopum Rigensem cum omni exercitu suo comprehendisse. Et venerunt omnes cum exercitu magno. Et facto diluculo in primo mane totum mare contra nos tenebrosum apparuit, pyraticis ipsorum repletum. Et pugnaverunt contra nos per totam diem. Et quidam ex eis structuras lignorum et liburnas veteres adducentes miserunt in profundum et lapidibus impleverunt et aditum portus nobis obstruxerunt. Unde timore magno perterriti putabamus manus eorum non evadere.

QUALITER AB IGNIBUS LIBERATI SUMUS PER DEI MISERICORDIAM. Alii quoque ex eis ducebant ignes maximos tres ex siccis lignis et pinguedine animalium incensos et super structuras arborum magnarum compositos. Et primus ignis, qui erat super alios magis ardens, pellebatur supra mare et appropinquabat ad nos, et ventus australis fortis vehementi impulsione pellebat cum super nos. Et Estones in pyraticis suis circueuntes ignem custodiebant eum et in directo ducebant eum super medios coggones. Erantque coggones omnes in unum colligati, ut facilius nos ab inimicis defenderemus, tantoque magis ignem evadere non posse timebamus. Et cum iam ignis idem, alcior coggonibus omnibus, flammas suas ad nos extenderet, evocavimus episcopum de camerula sua, in qua erat orans die ac nocte. Et venit et vidit, quod non erat consilium et auxilium nobis, nisi divinum. Et elevans oculos suos et manus utrasque ad celum orabat ab igne presenti liberari. Et vidimus omnes, et ecce subito ventus australis conversus est in orientalem, et ventus ab oriente convertit ventilogium, quod erat in velo, in contrarium et removit ignem a nobis, et cum omni mansuetudine depellebat eum circum coggones retro nos in mare. Et benediximus omnes Dominum, eo quod visibiliter liberavit nos ab incendio presenti. Et pellebant secundum ignem et tercium, contra quos diu pugnantes et aquam fundentes multum laboravimus, quos eciam tandem ventus removit a nobis. Interim alii Estones erant remigantes circa nos et lanceis et sagittis suis vulnerantes plures ex nostris, et alii, redeuntes iterum eadem via circum nos, lapidibus et pedis suis iactantes super nos. Et erant timores nobis tam de portu clauso, quam de bellorum incommodis.

QUALITER CONCLUSIONEM PORTUS EVASIMUS. Et ait Albertus Sluc, nauta noster: “Si”', inquit, pacienter obtemperare volueritis, liberabit nos Dominus a periculis presentibus. Cum', inquit, “naves nostre non sint onuste sed vacue et modica sufficit eis profunditas, alia via poterimus exire, si cymbas intraveritis fortes viri et armati et anchoras deducentes proieceritis in profundum, per medium hostium revertentes iterum ad nos, ceterique funibus

anchoris alligatis coggones trahendo subsequantur, donec in profunditatem maris perveniamus." Et obedivimus omnes et traximus, donec transitis difficultatibus in mare magnum et spatiosum pervenimus. Qui vero in cymbis anchoras deduxerunt milites et servi, sevissimam impugnationem passi lanceis et sagittis ipsorum nec non et lapidum iactibus graviter sunt vulnerati. Qui tandem tollentes secum ferrum recurvum vel uncum ferreum, quod in aliquam pyraticarum proicerent et taliter apprehenderent, et iactantes in unam, iam eam attrahere putabant. Sed Estones vehementi remigatione fugientes ab eis alias pyraticas obvias habuerunt. Et cum esset eadem hora hec oratio episcopi ad beatam Virginem: Monstra te esse matrem, monstra te esse matrem, revera monstravit se esse matrem. Nam illa pyratica fugiens, que magna erat et multis viris repleta, forti pulsu vecta super aliam scissa est cum sonitu magno per medium et repleta est aquis, et viri ceciderunt in mare et submersi sunt. Et confusi sunt alii omnes. Et videntes nos profunditatem maris iam comprehendisse, congregaverunt se in littore maris, Et erant ex eis multa milia, qui tam eques quam pedes convenerant de tota Estonia et in pyraticis fere ducentis. Et irati sunt valde in invicem clamore magno simul et verberibus, eo quod duarum ebdomadarum laboribus nichil profecerunt et multos ex suis in mari submersos et plures a balistariis nostris interfectos perdiderunt. Et sustollentes vela sua dispersi sunt in mari et abierunt unusquisque in viam suam. Et sequuti sunt nostri post eos in cymbis suis et abstulerunt eis pyraticam unam maiorem, quam in Godlandiam secum deduxerunt. Et liberavit nos in illa die beata Virgo, sicut et omnes Lyvonenses hactenus liberavit ab omnibus angustiis suis usque in hodiernum diem.

6. DE MORTE EPISCOPI PHILIPPI. Postquam liberavit nos Dominus ab Osiliensibus, sedimus in eodem portu, donee trium ebdomadarum tempus complevimus, tempestates maris cottidianας et procellarum turbines et ventos contrarios habentes. Et erat fames magna et penuria ciborum, et distribuit episcopus omnia, que habuit, in caritate. Et eramus cottidie vota voventes et orantes, ut nos ab illo loco liberaret Dominus. Et factum est in vigilia Marie Magdalene, cantantibus iam nobis quasi semivivis responsorium: Flavit auster, cessaverunt omnes venti contrarii et dedit nobis Dominus ventum prosperum. Et levantes vela nostra sequenti mane pervenimus in Gothlandiam. Et stans in lapide altaris gratias agebat Domino, dicens: "Transivimus, Domine, per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium. Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induristi nov in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Liberasti nos, Domine, de omnibus periculis nostris et reduxisti nos super hanc firmam petram". Habebat enim magnum desiderium ad petram, qui Christus est, veniendi et multis gemitibus a missarum solempniis in mari abstinebat, licet tamen alternis diebus infra dominicum officium communicaret.

[DE MORTE....TA [EPISCOPI RACEBU]RGEN [SIS]... [IN] VY.... Et implevit tandem Dominus desiderium ipsius et misit eum eodem itinere in Veroniam, ubi modica infirmitate correptus Domino spiritum suum commendabat. Et sepultum est corpus eius in marmorco sepulchro cuiusdam quondam cardinalis, in cenobio, quod est supra flumen, ordinis Augustiniensis. Et vidit Veronensis quidam in visione columpnam tamquam fulgur splendentem de trans Alpibus venientem et ibidem se ad quiescendum. deponentem. Et alii visiones similes angelicas ad sepulchrum eius se videre testati sunt. Nec mirum! Qui erat vir stabilis et constans, ut nec in prosperis nec in adversis a Christi desiderio moveri posset, ut nec eciam ordinem silencii sui ante matutinalem cursum et ante. Horam diei primam finitam unquam interrumpere vellet, sive in incendio Rigensi, quando incensis omnibus fugatus est a

domo sua, sive inter ipsos hostes in mari, sive tercia vice, quando a vigile graviter vulneratus est, cum esset in muro nocte in orationibus suis. Dedit ergo Deus ei locum, quem optavit, firmum et stabilem in petra. Cuius anima cum Christo et memoria ipsius manent in benedictione.

7. DE CONCILIO ROMANO. Anno Dominice incarnationis MCCXV celebratum est concilium in ecclesia Romana, presidente papa Innocencio, presentibus patriarchis et cardinalibus et episcopis quadringentis, abbatibus octingentis. Inter quos erat episcopus Lyvonensis Albertus cum Estiensi episcopo, Qui referebant tribulationes et bella et negocia Lyvonensis ecclesie summo pontifici, simul et omnibus episcopis, Et congaudebant omnes de conversione gencium, simul et de bellis et triumphis multiplicibus christianorum. Et ait episcopus: “Sicut”, inquit, “pater sancte, terram sanctam. Ierosolimitanam, que est terra filii, sanctitatis tue studio fovere non desinis, sic Lyvoniam, que est terra matris, consolationum tuarum sollicitudinibus hactenus in gentibus dilatatam eciam hac vice desolatam derelinquere non debes. Diligit enim filius matrem suam, qui, sicut non vult terram suam perdi, sic nec vult terram matris utique periclitari”. Cui respondit summus pontifex et ait: Sicut terram filii, sic et terram matris paterne sollicitudinis nostre studiis semper promovere curahimus. Et finito concilio remisit eos cum gaudio, renovata auctoritate predicandi et peregrinos in remissionem peccatorum signandi, qui Lyvoniam secum proficiscentes novellam ecclesiam a paganorum tuerentur insultibus.

DE BAPTISMO UGAUNENSIUM ET SACKALANENSIUM.

Roma dictat iura, Riga vero rigat gentes. Nam Petrus Kakewalde et Otto sacerdos a Riga missi Saccalam et Ugauniam interim sacro fonte rigantes ad vitam invitant eternam.

8. DE EXPEDITIONE IN SONTAGANAM. Rotalienses vero adhuc rehelles christianorum leges adhuc recipere contradicunt. Contra. quos expeditio destinatur. Festo itaque nativitatis Dominice peracto Lyvonibus et Lettis indicitur, ut sint parati, ut congregentur ituri contra christiani nominis inimicos. Quibus et occurrunt Theuthonici cum fratribus milicie. Adest eciam Borgardus comes cum peregrinis, qui simul omnes in glacie maris euntes Estonie provinciam primam attingunt. Et dividentes exercitum per omnes vias et villas Estones fugientes persequuntur, comprehensos interficiunt, mulieres et parvulos et pecora rapiunt, ad castrum Sontagana congregantur, obsidentes Estones in eo et pugnantes cum eis diebus novem.

DE EXPUGNATIONE CASTRI SONTAGANA ET FIDE RECEPTA. Erigebant itaque propugnaculum ligneum et ad castrum vicinins appellitur. Super quod ascenderunt Lyvones et Letti simul cum balistariis et in arce munitionis multos ex Estonibus lanceis et sagittis interficiunt, multos vulnerantes et a defensione repellunt. Estones namque nimium audacter ad dimicandum prosilientes et quasi magis locum dantes balistariis plures vulneratos et plures interfectos recipiunt. Unde tandem post multorum interfectionem et propter aque cibariorumque defectum tradentes se pacem petunt. Theuthonici vero: “Si perfidie vestre”, inquiunt, volueritis arma deponere et veram pacem, que Christus est, in vestrum castrum recipere, libenter vobis parcendo vos in fraternitatis nostre recipiemus amorem, Quod ut audiunt, statim baptismi sacramentum cum omni iure christianitatis se recipere cum gaudio pollicentur. Unde die iam undecimo missus est ad eos Godfridus sacerdos in castrum. Qui benedicens eis, “Si”, inquit, abrenunciare volueritis ydolatrie et in unum Deum christianorum credere? Et respondentibus cunctis: “Volumus”, ipse aquam fundens ait: Baptizamini ergo omnes in nomine Patris et Filii et Spiritus suneti Quibus completis data est pax et acceptis

obsidibus seniorum filiis reversus est exercitus cum omni preda et spoliis et captivis in Lyvoniam, Deum pro gencium conversione benedicens, qui est benedictus in secula.

9. DE EXPEDITIONE IN OSILIAM. Post dierum paucorum pausationem recuperatis viribus congregantur iterum Rigenses cum Lyvonibus et Lettis et euntes in glacie maris, quod erat continua frigoris asperitate congelatum firmissime, versus Osiliam exercitum suum converterunt. Et invenientes viam maris optimam exercitum suum dividunt et per omnes vias ac villas circueuntes multos comprehendunt et viros omnes interficiunt, mulieres et parvulos et pecora secum abducunt. Aput unum castrorum conveniunt et cum eis, qui in castro erant, dimicantes, nonnullos ex eis vulnerantes interficiunt et, pre nimia frigoris intensione castrum ipsum expugnare non attemptantes, cum omni rapina et captivis reversi sunt per viam suam in glacie. Et clamantibus quibusdam, quod malewa sequeretur, et aliis festinanter euntibus ad ignem, quidam ex eis deficientes et frigore congelati ceciderunt et mortui sunt et alii sani redierunt.

10. DE MORTE REGIS SUBITANEA WOLDEMARI. Transacta vero Dominice resurrectionis solempnitate miserunt Estones ad regem Woldemarum de Ploceke, ut cum exercitu veniens Rigam obsideret. Ipsi quoque Lyvones et Lettos interim bellis deprimere, simul et portum in Dunemunde se claudere pollicentur. Et placuit regi consilium perfidorum, qui semper Lyvonensem ecclesiam querebant disturbare, mittensque in Rusciam et Letoniam convocavit exercitum magnum Ruthenorum atque Letonum. Et postquam convenerunt omnes et parati erant et rex intraturns erat navem iturus cum eis, subito cecidit et exspiravit et mortuus est morte subitanea et improviso, et omnis exercitus ipsius dispersus est et reversus est in terram suam

11. Et audientes, qui erant in Riga de familia episcopi et fratres milicie, consilia Estonum, emerunt coggonem, munientes eum in circuitu tamquam castrum et locantes in co viros quinquaginta cum balistis et armis, statuentes eum in ore fluminis Dune ad custo diendum portus introitum, ne venientes Osilienses obstruerent sicut ante. Mortuo itaque rege pervenit verbum in Osiliam, simul et audientes balistarios et viros armatos Dune portum custodire, Saletsam intraverunt et ascendentes circa stagnum Astegerwe villas Lettorum despoliaverunt et mulieres capientes viros interfcceruni. Et congregati sunt quidam ex Lettis, insequentes ens et comprehensos quosdam interfecerunt et alios ad naves fugaverunt. Et siluit ecclesia diebus paucis, que erat exspectans adventum sui pontificis.

XX

1. DE ANNO OCTAVODECIMO. Annus erat antistitis octavus decimus. Qui rediit a curia Romana et in Hagenowe consolatus a rege Frederico reversus est in Lyvoniam cum episcopo Theoderico Estiensi et cum aliis fidelibus, militibus et peregrinis. Et invenit in Dunemunde viros snos portum custodientes, et retulerunt ei de expeditionibus suis in Estonia nec non et de morte regis, et qualiter consolati sunt in omnibus tribulationibus suis. Et factum est gaudium in ecclesia tam de adventu pontificis, quam de liberatione sua a Ruthenis ac aliis gentibus.

2. DE EXPEDITIONE PRIMA IN HARIEN. Et post hec convenerunt episcopi cum fratribus milicie, facientes divisionem quandam super Estonia, que sicut postea fuit instabilis, sic eam describere inutile reputavi, Quin pocius dicam, quod convenerunt iterum Rigenses cum Lyvonibus et Lettis et magister Volquinus cum fratribus suis et peregrinis, simul et Theodericus

cum viris episcopi, et iverunt cum exercitu, pacifice tamen, in Saccałam iam baptizatam, convocantes ad se seniores eiusdem provincie, quorum consilio procedebant ad alios Estones, et ipsi erant eis duces. In die vero assumptionis beate Virginis intraverunt provinciam Harionensem, que est in media Estonia, ubi et omnes gentes circumiacentes quolibet anno ad placitandum in Raigele convenire solebant. Quo cum pervenimus, exercitum nostrum per omnes vias ac villas nec non et provincias illius terre divisimus, incendentes omnia et vastantes, quidquid masculini sexus interficientes, mulieres et parvulost capientes, pecora multa nec non et equos eorum minantes. Tandem ad villam magnam Lone, que est super rivum in media terra, convenimus et ibidem triduo quiescentes totam terram in circuitu devastavimus et usque ad Revelenses villas pervenimus.

Quarto die ponentes insidias prope villam capti sunt novem ex eis et quidam interfecti. Et reversus est exercitus cum preda magna bovesque et oves innumerabiles reduxerunt. Et sequuti sunt Estones in malewa magna, volentes post tergum eos impugnare. Sed cecidit sors deorum ipsorum in partem contrariam. Et reversi sunt Rigenses cum gaudio in Lyvoniam, dividentes omnia, que retulerunt, in caritate.

3. DE EXPEDITIONE RUTHENORUM IN ODENPE. Post hec indignati Rutheni de Plecekowe contra Ugaunenses, eo quod baptismum Latinorum acceperunt et suum contempserunt, bellumque eis comminantes censum ac tributum ab eis exegerunt. Ugaunenses vero Lyvonensem episcopum simul et fratres milicie super hoc consulentes, auxilium super hoc postulabant. Quod ipsi non negantes simulque cum eis vivere ac mori promittentes, liberos eos a Ruthenis esse, sicut semper ante baptismum fuerunt, sic et nunc esse confirmabant. Mortuo itaque rege magno Woldemaro de Ploceke resuscitatus est novus adversarius Lyvonensis ecclesie, Woldemarus de Flecekowe, qui surrexit cum exercitu magno Ruthenorum de Plescekowe et venit in Ugauniam et sedit in monte Odempe et misit exercitum suum per omnes villas ac provincias in circuitu, qui incendentes et depredantes totam terram multosque viros interfecerunt mulieresque et parvulos captivos deduxerunt. Et erat ibidem Theuthonicorum quidam Isfridus mercator, qui perditis omnibus suis Rigam fugit et nunciavit ibi.

4. Tunc convenerunt seniores Rigensium cum episcopis ac fratribus milicie considerantesque bellum Ruthenorum sibi forte imminere, divisionem quandam faciebant super omnibus provinciis Estonie per Lyvonensem ecclesiam subiugatis ac baptizatis, deseribentes ecclesie Lyvonensi et episcopo Rigensi terciam partem proventuum omnium ac tributorum de Estonia proveniencium, ut, sicut laborum ac bellorum, sic eciam consolationum particeps existeret; secundariam partem Estiensi episcopo, terciam vero fratribus milicie pro laboribus et expensis suis adiudicabant.

5. Veneruntque iterum Ugaunenses ad episcopos, auxilium contra Ruthenos postulantes. Et miserunt episcopi viros suos cum fratribus milicie in Ugauniam, Qui congregaverunt Estones omnes de provinciis illis et edificaverunt montem Odempe simul cum eis et habitaverunt ibi, munientes castrum firmissime, tam contra Ruthenos, quam contra gentes alias adhuc nondum baptizatas. Venerunt eciam Rutheni solito more in terram Lettorum de Tholowa pro censu suo colligendo; quo collecto castrum Beverin incenderunt. Et vidit Bertoldus, magister milicie de Wenden, quod ad bellum se prepararent, eo quod castra Lettorum incenderent, misit et comprehendit eos et proiecit eos in carcerem. Quos tamen venientibus nunciis regis Nogardie solvit et honorifice remisit in Rusciam. Ugaunenses vero, volentes se de Ruthenis vindicare, surrexerunt cum viris episcopi simul et cum fratribus milicie et abierunt in Rusciam versus

Nogardiam, et invenientes terram nullis rumoribus premunitam, in festo epyphanie, cum conviviis et potationibus suis magis solent occupari, diviserunt exercitum suum per omnes villas et vias et interfecerunt populum multum et mulieres quam plurimas captivas duxerunt et equos et pecora multa depellentes spolia multa tulerunt et igne et gladio suas iniurias vindicantes cum omni preda reversi sunt in Odempe gaudentes.

6. DE EXPEDITIONE IAM SECUNDA IN GERWAM. Post festum epyphanie miserunt Rigenses ad omnes Lyvones et Lettos et congre gaverunt exercitum magnum et iverunt in Sackalam et acceperunt seniores eiusdem provincie sibi duces veneruntque ad eos Ugaunenses cum Theuthonicis suis et processerunt in Gerwen, dividentes exercitum suum per omnes villas ac provincias regionis illius, et percusserunt terram ipsam plaga magna, sedentes in villa Carethen sex diebus, incendentes et vastantes omnia circumquaque. Et processerunt in Vironiam, qui erant in equis fortiores, et similiter terram illam depredantes et viros interficientes et mulieres et parvulos captivantes cum spoliis multis reversi sunt in Carethen. Et venerunt ad eos ibidem seniores illius provincie Gerwanensis pacem petentes et ut de finibus suis exirent. Quibus dixerunt ipsi: “Si volueritis”, inquiunt, veram pacem, oportebit vos veri pacifici, qui est Christus, filios fieri, ut ipsius baptismate suscepto nostram possitis fraternitatem perpetuam adipisci. Quo audito gavisi sunt Gerwanenses et, ut pacem Rigensium consequi valerent, tam baptismum eorum promiserunt se servaturos, quam censum eis perpetuum daturos. Unde et quosdam baptizavimus ibidem et acceptis obsidibus pueris eorum reversi sumus in Lyvoniam cum omni preda nostra, Deum pro gentis eciam illius conversione collaudantes.

7. DE OBSIDIONE CASTRI ODENPE A BUTHENIS. Postquam reversus est exercitus Lyvonensis a Gerwen, statim Nogardenses in quadragesima congregaverunt exercitum magnum Ruthenorum, ibatque cum eis rex Woldemarus de Plescekowe cum civibus suis, et miserunt nuncios per universam Estoniam, ut venirent ad obsidionem Theuthonicorum et Ugaunensium in Odempe. Et venerunt non tam Osilienses et Harionenses quam eciam Saccalanenses iam dudum baptizati, sperantes iugum Theuthonicorum simul et baptismum eorum taliter a se removere. Et occurrerunt Ruthenis et obsederunt simul cum eis castrum Odempe et pugnaverunt cum Theuthonicis, et qui cum eis erant, decem et septem diebus, et non poterant eis nocere, cum castrum fuerit firmissimum. Sed viri sagittarii episcopi, qui erant in castro, et fratres milicie multos vulnerabant ex Ruthenis et interficiebant balistis suis. Similiter Rutheni sagittis arcuum suorum quosdam de castro vulnerabant. Et circuiverunt Rutheni per provincias et comprehenderunt multos et interficientes eos proiecerunt corpora corum in aquam, que erat in pede montis, ut non haurirent ex ea, qui erant in castro. Et fecerunt omnia mala, que potuerunt, vastantes et incendentes omnem terram in circuitu. Et quandoque more suo montis munitionem cum omni multitudine sua conscendere conantes, a Theuthonicis et Estonibus fortiter repulsi sunt, unde multorum virorum suorum interfectionem ibidem experti sunt. Et audientes episcopi cum fratribus milicie suorum obsidionem, miserunt in auxilium eis circiter tria milia virorum. Et ibat Volquinus magister milicie cum eis et Bertoldus de Wenden et Theodericus, frater episcopi, cum eis, cum Lyvonibus et Lettis ac peregrinis quibusdam. Et pervenerunt ad stagnum. Bastegerwe et obvium habuerunt puerum venientem de castro. Quem acceperunt vie ducem et pervenerunt ad castrum mane facto et, relinquentes Osilienses ad dextram, perrexerunt ad Buthenos et pugnaverunt cum eis. Et videntes exercitum magnum et fortem diverterunt ad castrum. Erant enim Ruthenorum et Osiliensium fere viginti milia, quorum verentes multitudinem ascenderunt in castrum. Et ceciderunt quidam ex fratribus

milicie, viri fortes Constantinus, Bertoldus et Helyas, et ex familia episcopi quidam; et alii omnes sani pervenerunt in castrum. Et pre multitudine virorum et equorum facta est fames et penuria ciborum et feni in castro, et comedebant equi caudas suas in invicem; similiter et in exercitu Ruthenorum, cum esset defectus omnium. Tandem tercia die post conflictum colloquuti sunt cum Theuthonicis,

8. DE PACE FACTA CUM RUTHENIS. Fecerunt quoque pacem cum eis, ita tamen, ut Theuthonici omnes relicto castro in Lyvoniam redirent. Et vocavit rex Woldemarus generum suum Theodericum, ut pro pace confirmanda secum abiret in Plecekowe, Et credidit el descenditque ad eum. Quem statim Nogardenses rapuerunt de manibus suis et captivum secum deduxerunt. Theuthonici vero facta pace cum Lyvonibus et Lettis per medium Ruthenorum et Osiliensium descenderunt de castro et redierunt in Lyvoniam. Sackalanenses eciam interim terram Lettorum intrantes et villas corum devastantes et homines captivos ducentes ab Ymera reversi sunt in Saccalam, immemores sacramentorum omnium ante susceptorum, pacemque cum Theuthonicis quondam factam non curantes interruperunt.

XXI

1. Presulis Alberti nonusdecimus fuit annus Et non a bellis siluit gens Lyvoniensis.

DE BELLO IN SACKALAM. Misit enim venerabilis prefatus antistes nuncios suos tam in Nogardiam quam in Saccalam pro pace in Odempe facta confirmanda, supplicans eciam eis pro fratre suo Theoderico. Qui cum sint homines clationis tumore repleti, simul et in superbia sua nimium arrogantes nec preces episcopi nec pacem Theuthonicorum curantes, sed conspirabant cum Estonibus et cogitabant consilia, qualiter Theuthonicos opprimerent et Lyvo nensem ecclesiam destruerent. Quo cognito predictus antistes cum peregrinis redeuntibus abiit in Theuthoniam, domino lesu Christo matrique sue Lyvoniam committens eciam hac vice custodiendam. Et incommoda bellorum dampnumque suorum cunctis significans, ut se murum pro domo Domini ponerent viri fortes et nobiles et sumpta cruce peregrinarentur in Lyvoniam in remissionem peccatorum ammonuit. Et audivit comes Albertus de Lowenborch omnia mala, que Rutheni simul et Estones inferebant ecclesie Lyvonensi, sumpta cruce in remissionem peccatorum cum militibus suis ac viris strennuis ac nobilibus profectus est in Lyvoniam, venitque cum eo abbas Bernardus de Dunemunde et peregrini, licet pauci. Et susceptus est cum leticia magna. Quem Dominus hactenus posuerat in pharetra sua tamquam sagittam electam, ut tempore oportuno mitteret eum in Lyvoniam ad liberandam ecclesiam suam ab inimicis.

2. Qui postquam venit in Rigam, miserunt Estones ad Ruthenos munera plurima, rogantes ut cum exercitu venirent ecclesiam Lyvonensem destructuri, Sed rex magnus Nogardie Mislawe codem tempore abierat contra regem Ungarie pugnaturus pro regno Gałacie, relicto rege novo in sede sua in Nogardia. Qui missis nunciis suis in Estoniam promisit se cum exercitu magno venturum, simul cum rege Woldemaro et regibus aliis quam plurimis. Et gavisi sunt Esto nes et miserunt per universam Estoniam et congregaverunt exercitum magnum nimis et fortem. Et resederunt aput Palam in Saccala. Quorum princeps ac senior Lembitus convocavit omnes de omnibus provinciis, Veneruntque ad eos tam Rotalienses quam Harionenses, tam Vironenses quam Revelenses, Gerwanenses et Sackalanenses. Et erant ex eis milia sex, qui omnes exspectabant adventum regum Ruthenorum diebus quindecim in Sackala. Quorum collectionem audientes Rigenses surrexerunt et propere festinaverunt ad eos, Ruthenos

prevenire cupientes. Et ibat comes Albertus cum eis, cum militibus ac servis suis, Volquinus magister milicie cum. fratribus suis, Bernardus abbas de Dunemunde, prepositus Iohannes, Lyvones et Letti, Caupo eciam fidelissimus, qui prelia Domini simul et expeditiones numquam neglexit. Hii omnes venerunt prope Sackalam, ubi locus est orationis et colloquiorum exercitus. Et erant ex eis fere tria milia virorum electorum. Et ordinaverunt Theuthonicos via media, Lyvones vero posuerunt ad dexteram, Lettis vero viam ad sinistram dederunt. Et miserunt alios ad villas, qui comprehensis hominibus quibusdam intellexerunt ab eis multitudinem exercitus, simul et ipsum iam obviam venientem et paratum ad preliandum. Quo audito processerunt caute et ordinate, et vespere facto pervenerunt aput castrum Viliende, ubi quiescentes nocte; missarumque solempniis ibidem celebratis in die Mathei apostoli processerunt obviam inimicis. Et invenerunt ens ad locum alium divertisse, quos statim insequentes eosque ad preliandum paratos subito de silvis ex adverso procedere videntes accesserunt ad eos, et pugnaverunt Theuthonici via media, ubi maior ac forcior eorum turba fuit. Quorum alii in equis et alii pedes in ordine suo paulatim procedentes per medium corum ibant et infringentes aciem ipsorum in fugam eos converterunt.

3. DE BELLO SACKALANENSIUM, QUOD COMMISERUNT CUM EIS. Letti quoque, in sinistro cornu dimicantes, andaeter una cum Theuthonicis suos adversarios invadebant, contra quos ordinati erant Sackalanenses simul cum Lembito et ceteris senioribus suis. Qui multos de Lettis vulnerantes et quosdam interficientes fortiterque pugnantes diuque restiterunt. Sed videntes turbam mediam a Theuthonicis in fugam conversam terga verterunt et ipsi. Et persequuti sunt eos Letti et multos occiderunt ex eis, et ceteri fugerunt. Et cognovit Veko, frater Roboam, Lembitum et persequutus est eum et occidit eum, tollens vestimenta eius, et ceteri caput eius amputantes detulerunt secum in Lyvoniam. Et ceciderunt ibidem eciam alii seniores de Sackala, Wottele, Maniwalde cum aliis quam plurimis. Lyvones vero, qui ad dexteram erant ordinati, videntes lanceas Estonum crudeliter super se volantes declinaverunt ad Theuthonicos et cum eis persequebantur fugientes. Sed Estones, qui venerant contra eos, irruerunt super quosdam ex nostris post tergum sequentibus; sed illi viriliter repellentes eos, converterunt eciam eos in fugam. Et postquam omnes Estones conversi sunt in fugam, Lyvones et Letti et Saxones persequebantur eos et occiderunt ex eis per silvas, ut fere implerent numerum millenarium, immo innumerabiles, qui per silvas ac paludes computari non poterant, et equorum fere duo milia eis abstulerunt et arma et spolia omnia eorum tulerunt et sequenti die rapta omnia inter se equaliter diviserunt.

4. DE MORTE CAUPONIS. Caupo vero lancea perforatus per latus utrumque, fideliter passionem Domini commemorans sumptisque Dominici corporis sacramentis in sincera confessione christiane religionis emisit spiritum, divisis primo bonis suis omnibus ecclesiis per Lyvoniam constitutis. Et luctum habuerunt super eum tam comes Albertus quam abbas et omnes, qui erant cum eis. Et combustum est corpus eius, et ossa delata in Lyvoniam et sepulta in Cubbesele.

5. DE REVERSIONE SACKALANENSIUM AD FIDEM ET PACEM. Post bellum autem processit exercitus ad Palam in villam Lembiti; sedensque tribus diebus ibidem, miserunt Lyvones et Lettos ad depredandas omnes provincias in circuitu et incendendas. Et venit. ad eos frater Lembiti Unnepewe cum aliis, qui remanserant, supplicantes pro pace pristina renovanda. Et dixerunt eis Theuthonici; “Quia sacri baptismi sacramenta suscepta contempsistis et paganorum ac Ruthenorum consiliis fidem Christi contaminastis, ideo percussit vos Dominus. Nunc ergo revertimini fideliter ad Christum, et adhuc recipiemus vos in fraterne dilectionis

nostre consorcium.” Et placuit eis. Et acceptis obsidibus iam secundo data est eis pax, ut omnia christianitatis iura fideliter observent. Quo facto reversus est exercitus cum omnibus spoliis suis in Lyvoniam et pro tam gloriosa victoria sibi a Deo collata benedixerunt Dominum, qui est benedictus in secula".

DE EXPEDITIONE IN HANIALE. Postquam rediit comes Albertus a cede Sackalanensium, desiderabat ipse in Osiliam aliam promovere expeditionem machinamque maiorem fieri iussit et omnes ad iter ipsum confortavit. Sed indicta sepius eadem hyeme collectione exercitus pluviarum fluebant ymbres et resoluta glacie maris in Osiliam, cum sit insula maris, pervenire non poterant. Unde tandem in quadragesima Rigenses exeuntes cum Lyvonibus et Lettis ad Estones alios ire disposuerant, et venientes ad Saletsam suosque exploratores premittentes Osilienses obvios habuerunt. Et statim postquam Osilienses cognoverunt exercitum Rigensium, conversi sunt in fugam. Et sequebantur eos Rigenses cum omni exercitu suo per totum diem illum, et sequenti die provincias intrantes Maritimas circa Osiliam sitas et diviso exercitu suo per omnes vias terramque despoliantes viros omnes comprehensos interfecerunt, mulieres et parvulos captivos duxerunt, iumenta multa secum comminantes spolia multa tulerunt, flammis villas ac domos tradiderunt. Et convenientes cum exercitu suo sederunt quiescentes diebus aliquot in media terra. Et venerunt ad eos seniores de Haniale et Cozzo et omnibus provinciis a Rotalia usque Revele et Hariam constitutis, rogantes ea que pacis sunt et ut de finibus suis recederent.

DE PACE FACTA CUM ROTALIENSIBUS ET FIDE RECEPTA

AB EIS. Et dixerunt Rigenses: “Si voluerites” inquiunt, “sacro fonte rigari et nobiscum veri pacifici, qui est Christus, filii fieri, tunc veram pacem vobiscum firmabimus et vos in nostram fraternitatem accipiemus”. Quod audientes Estones gavisi sunt et positis obsidibus ecclesie Lyvonensi se subdiderunt, ut et baptismi sacramenta reciperent et censum annuatim persolverent. Et data est pax, et reversi sunt Rigenses cum preda multa, pro gentis illius eciam subiugatione Deum collaudantes.

6. DE PACE FACTA SECUNDO CUM GERWANENSIBUS. Post secundam reversionem Sackalanensium ad fidem christianam venerunt quoque Gerwanenses eciam iam secundo et tradiderunt se Rigensi ecclesie coram comite Alberto et universis senioribus Rigensium, ponentes obsides pueros suos, ut et ipsi baptismi mysterium acciperent et ecclesie Lyvonensi censum ministrarent perpetuum vel annone mensuram pro decima institutam. Et reversi sunt ipsi in terram suam, de pacis tranquilitate gaudentes.

7. DE BELLO CUM OSILIENSIBUS AD SALETSAM. Hoc ipso tempore surrexerunt Osilienses et venerunt in Metsepole cum exercitu, et erant ex eis fere mille de melioribus suis, et despoliaverunt totam provinciam illam in Metsepole. Et post hec intraverunt parrochiam aliam in Ledegore et spoliantes terram in circuitu viros quosdam interfecerunt, mulieres et parvulos secum deduxerunt. Et ut appropinquaverunt ad domum sacerdotis, vidit eos Godfridus sacerdos venientes. Et subito conscendens equum suum fugit ab eis et circuivit parrochiam suam, convocans viros omnes ad pugnandum cum paganis, et misit ad vicinas parrochias per totam noctem, ut sequenti die venirent ad bellum. Et venit Vesike cum suis Lyvonibus nec non et quidam ex servis episcopi de castro Vredelant; et convenerunt in unum et persequuti sunt Osilienses. Et erant septem tantum ex servis episcopi Theuthonici, et octavus erat sacerdos Godefridus. Qui succinxit se armis bellicis suis et induit se lorica sua tamquam gygas, oves suas luporum faucibus eripere cupiens. Et irruerunt post tergum super eos, occidentes ex eis

fortissime. Sed et illi conversi ad istos diutissimeque resistentes quam plures ex istis vulneraverunt. Tandem post pugnam longam conversi sunt Osilienses in fugam et ceciderunt ex eis fere centum et ceteri fugerunt. Et persequuti sunt servi episcopi cum Lyvonibus eos trans Saletsam via plana iuxta mare abstuleruntque eis equos fe quadringentos ex melioribus, quos inter se postea cum rapina divis runt, benedicentes Dominum, qui per paucos operatus est victoria de inimicis.

XXII

1. ANNUS VICESIMUS.

Annus bisdenus antistitis advenieba Et non a bellis Lyvonum terra silebat.

Eodem anno prefatus episcopus Rigensis simul et Estiensis et Bernardus abbas, qui eodem anno consecratus est in episcopum in Semigalliam, cum comite Alberto redeunte de Lyvonia venerunt ad regen Dacie, suppliciter rogantes, quatenus exercitum suum navalem anno sequenti converteret in Estoniam, ut magis humiliati Estones Lyvonensem ecclesiam cum Ruthenis impugnare cessarent. Et ut intellexit rex grandem guerram Ruthenorum atque Estonum contra Lyvonenses, promisit se anno sequenti cum exercitu suo in Estonians venturum, tam ad beate Virginis honorem quam in peccatorum suorum remissionem. Et gavisi sunt episcopi. Et abiit iterum vene rabilis Lyvonensis ecclesie [episcopus] Albertus, colligens peregrinos et predicans eis remissionem peccatorum et mittens eos in Lyvoniam, ut starent pro domo Domini in die prelii et defenderent ecclesiam novellam ab impetu paganorum. Ipse vero distulit iter suum in Lyvoniam hoc anno, ut in futurum annum forcior et cum pluribus veniret. Et statuit in vice sua decanum Halverstadensem, qui cum Henrico Borewino, nobili viro de Wentlande, et quibusdam aliis peregrinis abiit in Lyvoniam, annum peregrinationis sue completurus ibidem.

2. DE BELLO CUM RUTHENIS IN PUIDYSE. Post festum autem assumptionis beate Virginis, calore iam estivo pretereunte, indicta est expeditio contra Revelenses et Harionenses, qui semper adhuc fuerant rebelles et aliis crudeliores. Et convenerunt Rigenses cum Lyvonibus et Lettis, et ibat cum eis Heinricus Borewinus et magister Volquinus cum fratribus suis et venerunt prope Sackalam, ubi locus orationis et colloquiorum exercitus esse solet, ubi eciam comes Albertus pontem fieri iussit, et Revelensem provinciam se despoliaturos ibidem decreverunt. Et sequenti die pertranseuntes Sackalam venerunt prope castrum Viliende. Et redierunt ad eos ibidem. exploratores sui, quos ad convocandum seniores eiusdem provincie miserant, ut essent eis more solito vie duces, et reduxerunt secum Ruthenorum nuncios et Osiliensium, quos in villis comprehenderant, qui venerant missi a Ruthenis, ut colligerent exercitum per universam Estoniam et collectum eum ducerent ad exercitum Ruthenorum, ut simul venirent in Lyvoniam. Et statuerunt eos in medio populis, perquirentes ab eis verbum legationis sue. At illi exercitum magnum regum Ruthenorum in crastino de Ugaunia venientem et in Lyvoniam euntem retulerunt et se ad hoc missos, ut exercitum Estonum simul ad Ruthenos adducerent. Quo audito statim reversus est exercitus Lyvonensis eadem via qua venerat, et sequenti die via in Puidise versus Ugauniam in occursum Ruthenis abierunt. Et transeuntes Rutheni per totum diem flumen, quod dicitur Mater Aquarum, venerunt et ipsi in obviam Lyvonensibus, et subito redierunt ad nos exploratores nostri, dicentes exercitum Ruthenorum iam appropinquare. Et surreximus festinanter et ordinavimus exercitum nostrum, ita ut Lyvones et Letti pedes, Theuthonici vero in equis suis pugnarent. Et ordinato exercitu perreximus ad

eos. Et cum pervenissemus ad eos, confestim qui primi erant ex nostris acceleraverunt ad eos, et pugnantes cum eis verterunt eos in fugam et persequentes eos fortissime ceperunt vexillum regis magni Nogardie nec non et alia duo vexilla regum aliorum et viros portantes interficiebant. Et cadebant ex eis per viam hac et illac, et sequebatur post eos totus exercitus noster, donec tandem Lyvones et Letti, qui pedes currebant, deficerent. Et ascendit unusquisque equum suum et insequuti sunt Ruthenos,

3. Rutheni vero fugientes fere duo miliaria pervenerunt ad fluvium parvulum, quem transeuntes steterunt. Et congregaverunt in unum universum exercitum suum et percusserunt tympanum et fistulas suas, et rex Woldemarus de Plescekowe cum rege Nogardie circueuntes exercitum confortabant eos ad pugnam. Theuthonici vero, postquam percusserunt eos usque ad flumen, steterunt eciam et ipsi, non valentes eciam et ipsi pre multitudine Ruthenorum fluvium ad eos transire. Et congregaverunt se in colliculo fluvii eciam et ipsi, suorum, qui sequebantur, exspectantes adventum. Et ordinaverunt exercitum secundo, et alii pedes et alii in equis ex adverso Ruthenorum starent. Et quicunque Lyvonum ac Lettorum in colliculum fluvii, ubi acies erant ordinate, pervenit, visa multitudine exercitus Ruthenorum statim, quasi clava percussus in facie, retrorsum abiit et dorsa vertens reversus est in fugam. Et fugit unusquisque eorum post alium, videntes sagittas Ruthenorum super se venientes; tandem fugam simul omnes inierunt. Et steterunt Theutonici soli, quorum erant tantum ducenti. Sed et ipsi quidam subtraxerunt se, ut vix centum remanerent, et totum pondus prelii versum est in eos. Rutheni vero rivum transire ceperunt, et permiserunt eos Theuthonici, donec aliquanti transirent, et statim percusserunt eos iterum usque ad fluvium et aliquot ex eis interfecerunt. Et iterum alii rivum transeuntes ad Theuthonicos, iterum repulsi sunt ab eis. Quidam autem prepotens de Nogardia transito rivo ad explorandum Lyvones de longinquo circuibat, et occurrens ei Theodericus de Kukenoys dexteram, qua gladium tenebat, amputavit et fugientem insequutus percussit, et ceteri ceteros interfecerunt. Quicunque fluvium ad eos transiverunt, ita percusserunt, et taliter ab hora diei nona usque fere ad occasum solis cum eis circa fluvium pugnaverunt. Et videns Nogardie rex suorum circiter quinquaginta interfectionem prohibuit exercitum suum, ne deinceps ad eos transirent. Et abscessit exercitus Ruthenorum ad ignes suos.

DE REDITU THEUTHONICORUM A BELLO. Theuthonici vero omnes sani et incolumes per viam cantantes redierunt, preter unum militem Heinrici Borewin, qui sagitta vulneratus cecidit; et alter Lettus quidam Veko, qui cum novem Ruthenis solus, ad arborem versus, diutissime pugnavit et tandem post tergum vulneratus cecidit ipse et mortuus est. Alii vero omnes Lyvones et Letti sine lesione aliqua redierunt, quorum multi de silvis, ad quas fugerant, iterum ad Theuthonicos per viam redeuntes venerunt, congaudentes eis, eo quod tam pauci de tanta multitudine Ruthenorum evaserunt. Et laudaverunt omnes Salvatoris clemenciam, qui reduxit eos et liberavit de manibus inimicorum, immo qui in tanta paucitate suorum fere quinquaginta de Ruthenis interfecerunt et arma et spolia et equos eorum tulerunt. Erant autem Ruthenorum sedecim milia armatorum, quos rex magnus Nogardie convocaverat per universam Rusciam iam per biennium, cum armis melioribus que fuerant in Ruscia.

4. Qui post triduum sequebantur in Lyvoniam. Et primo quidem Lettorum villas aput Ymeram despoliantes et incendentes et ecclesiam eorum et posthec aput castrum Urele se congregantes et ibi diebus residentes duobus, tercio die venerunt in curiam Alebrandi sacerdotis super Raupam, sicut Woldemarus aliquando ei predixerat. Ibique diebus tribus quiescentes ecclesias omnes in circuitu, tam Lyvonum quam Ydumeorum, incenderunt et provincias et villas omnes

depredantes mulieres et parvulos captivos duxerunt et viros. omnes comprehensos interfecerunt et frumenta per agros undique congregata cremaverunt.

DE ALIO EXERCITU RUTHENORUM. Et venit Gerceslawe, filius Woldemari, cum alio exercitu et obsedit fratres milicie in Wenden et pugnavit cum eis per diem illum. Et sequenti die transita Coywa processit ad regem Nogardie nec non et ad patrem suum in Ydumea et terram Lettorum et Ydumeorum et Lyvonum simul cum aliis depredando vastavit, inferendo mala, que potuit. Et audientes Rigenses omnia mala, que Rutheni faciebant in Ydumea, surrexerunt cum Volquino magistro milicie iterum et Heinrico Borewino et cum peregrinis et cum Lyvonibus suis et venerunt in Thoreydam et convocaverunt ad se viros de circumiacentibus provinciis, volentes iterum pugnare cum Ruthenis. Et miserunt exploratores ad eos, qui statim turbam invenerunt Ruthenorum in Ymmeculle, et persequebantur eos usque ad Raupam. Illi vero ad suos reversi Theuthonicorum exercitum venientem indicabant. Quo audito statim Rutheni recedentes de loco illo et transeuntes Coywam Wendorum castrum obsederunt et per totum diem cum Wendis pugnabant.

5. DE OBSIDIONE CASTRI WENDORUM. Descendebant quoque sagittarii fratrum milicie de castro suo, intrabant ad Wendos et balistis suis multos Ruthenorum interficiebant et quam plurimos vulnerabant, unde multi nobiles graviter vulnerati inter duos equos in lectulis suis semivivi deferebantur. Magister autem milicie de Wenden cum fratribus suis pridie ad congregationem Theuthonicorum abierat, Interim Ruthenorum totus exercitus castrum ipsorum obsedit. Unde ipsi nocte per medios hostes caute transeuntes in castrum suum redierunt. Mane quoque facto rex Nogardie videns multorum nobilium suorum lesionem et aliorum interfectionem castrumque ipsum Wendorum se capere non posse considerans, cum sit tamen minus castellum, quod habet Lyvonia, pacifice loquutus est fratribus milicie. Qui pacem talem non curantes balistis eos a se repulerunt.

6. DE RECESSU RUTHENORUM. Unde Rutheni sequencium Theuthonicorum impetum verentes diverterunt a castro et per totum diem euntes usque in Tricatuam pervenerunt, festinanter de terra exeundo. Et venientes in Ugauniam, exercitum Letonum in Ruscia audierunt et redeuntes in Plescekowe partem aliquam civitatis ipsius a Letonibus despoliatam invenerunt.

7. Tunc Lettorum quidam surgentes cum paucis intraverunt Rusciam et despoliantes villas et homines interficientes et alios capientes et spolia tollentes in vindictam suorum fecerunt omnia mala que potuerunt. Et illis redeuntibus iterum alii abierunt, nichil omnium malorum, que facere potuerunt, omittentes.

8. DE EXPEDITIONE OSILIENSIUM IN DUNAM ET MARTYRIO HEREMITE. Fuerat eciam consilium Osiliensium, ut simul cum Ruthenis in Lyvoniam venissent cum aliis Estonibus ad destruendam ecclesiam. Sed propter conflictum Theuthonicorum cum Ruthenis dissipatum est consilium eorum, ut non venirent Sackalanenses, sed nec Osilienses, sed tantum Harionenses, qui cum quibusdam aliis sequebantur Ruthenos et pervenerunt ad eos aput Wenden et simul iterum cum eis abierunt. Osilienses vero navigio Dunam intraverunt et in insulis captis quibusdam pecora multa rapuerunt et heremitam quendam interfecerunt, qui de Dunemunde fuerat egressus et in insula vicina vitam heremiticam elegerat et ibidem martyrii sui agonem exspectabat. Quo consummato feliciter et indubitanter in sanctorum communionem transmigravit.

9. DE EXPEDITIONE IN REVELE, QUE FRIGIDA VOCATUR A LYVONIBUS. Et miserunt Rutheni de Plescekowe nuncios in Lyvoniam, dicentes se pacem cum Theuthonicis facturos, Sed erant consilia corum semper mala cum Estonibus et omni dolo plena. Quod intelligentes Rigenses miserunt ad Lyvones et Lettos et congregaverunt exercitum, ut irent contra Estones. Et circa quadragesime inicium convenerunt ad Saletsam, et erat ibi Volquinus magister milicie cum Heinrico Borewino et peregrinis et Lyvones et Letti, et ibant in glacie maris, donec Sontaganam pervenirent. Et accipientes ibidem de castro vie duces processerunt per totam noctem ad Revelensem provinciam. Et occurrit eis ventus ab aquilone frigidissimus. Erat enim frigoris tanta asperitas, ut extremitates membrorum ipsorum in frigiditate multis perirent et aliis nasus, aliis manus aliisque pedes congelarentur et omnibus nobis domi postea redeuntibus nova cutis in facie supercresceret vetere proiecta. Quidam eciam postea mortui sunt. Diviserunt autem exercitum suum in tres acies, et accepit Vesike cum Lyvonibus suis unam aciem et viam ad sinistram, Letti vero ad dexteram, Theuthonicis vero viam mediam more solito dimiserunt. Et relinquens Vesike viam suam Theuthonicos via media precessit cum Lyvonibus suis, qui primo mane ante lucem villam, quam invenerunt primam, incendentes, ut se calefacerent. Et videntes ignem illum Estones de tota provincia statim exercitum Lyvonensem intellexerunt et fugerunt unusquisque ad latibula sua. Theuthonici vero sequentes et villam ante lucem incensam invenientes et vie ducem aberasse putantes, interfecerunt eum ibidem, Mane autem facto circuierunt per omnes villas, incendentes eas et homines interficientes et alios capientes et pecora multa et spolia rapientes ad vesperam pervenerunt ad villam, que Ladise vocatur, et ibi nocte quiescentes ad aliam villam vicinam, que Culdale vocatur, sequenti die perrexerunt et rapinam multam acceperunt. Post triduum super glaciem maris, quod vicinum erat, abierunt, pellentes secum predam universam et captivos, ubi nune Dani castrum suum in vicino edificaverunt. Et revertentes paulatim in glacie decem diebus propter captivos et predam moram fecimus, exspectantes eciam Osilienses aut alios Estones, si forte ad bellandum. contra nos sequerentur. Cumque ad Saletsam veniremus, divisis spoliis cunctis inter nos cum gaudio reversi sumus in Lyvoniam, sicut exultant victores, quando dividunt spolia.

XXII

1. DE ANNO VICESIMO PRIMO.

Bisdenus primus antistitis institit annus Et non a bellis Lyvonum terra quievit.

Nam eodem anno facte sunt expeditiones multe bellumque innovatum est. Redeunte itaque presule prefato de Theuthonia venerunt cum co peregrini multi et nobiles. Quorum primus erat dux Saxonie de Anehalt Albertus, Rodolfus de Stotele, buregravius, iuvenis comes quidam et alii quam plures, qui parati erant ecclesiam defendere et stare pro domo Domini in die preli.

2. DE EXPEDITIONE REGIS DACIE IN REVELE. Surrexit eciam rex Dacie cum exercitu magno eodem tempore, et venit cum eo Lundensis ecclesie venerabilis archiepiscopus Andreas et Nicolaus episcopus et tercius episcopus, cancellarius regis, eratque cum eis Estiensis episcopus Theodericus, in Riga quondam consecratus, qui relicta Lyvonensi ecclesia regi adhesit, et Wizzlaus Slavorum princeps cum suis. Qui omnes applicuerunt exercitum suum ad Revelensem provinciam et resederunt in Lyndanise, quod fuerat eastrum quondam Revelensium; et destruentes castrum antiquum aliud novum edificare ceperunt. Et congregaverunt Revelenses et Harionenses exercitum magnum contra eos et miserunt seniores

suos ad regem verbis pacificis in dolo. Et credidit eis rex, ignorans dolum ipsorum, et dedit eis munera, et baptizaverunt cos episcopi, remittentes eos cum gaudio. Qui reversi ad suos cum omni exercitu suo post triduum venerunt ad vesperam facta cena et irruerunt super Danos in quinque locis et pugnaverunt ex improviso cum eis.

DE MORTE VENERABILIS THEODERICI ESTIENSIS EPISCOPI. Et quidam ex eis putantes regem esse in tentorio, quod erat venerabilis Estiensis episcopi Theoderici, intraverunt ad eum et occiderunt eum, et alii alios insequentes interfecerunt plures ex eis. Dominus vero Wenezlaus stabat in valle, que est in descensu montis ad mare, cum Slavis suis. Et videns cos appropinquare confestim occurrit eis.

DE PUGNA CUM ESTONIBUS. Et pugnans cum eis convertit eos in fugam et persequebatur eos, percuciens et interficiens ens per viam, Videntes autem Estones alii, qui Danos insequebantur, fugam illorum, qui cum Slavis pugnaverunt, steferunt eciam et ipsi, cessantes a persecutione Danorum. Et convenerunt omnes Dani simul cum rege et Theuthonici quidam, qui erant cum eis, et occurrerunt Estonibus, dimicantes fortiter cum eis. Et fugerunt Estones coram eis. Et postquam omnis multitudo eorum conversa est in fugam, sequebantur post eos Dani cum Theuthonicis et Slavis et interfecerunt ex eis per paucos plus quam mille viros, et ceteri fugerunt. Et referebat rex et episcopi gratias Deo pro victoria sibi de paganis a Deo collata. Et in locum episcopi predicti Theoderici capellanum suum Wescelinum substituerunt, perfectoque castro locatisque in co [viris suis] rediit rex in Daciam. Et remanserunt ibidem episcopi cum viris regis, qui per totum annum illum pugnaverunt cum Revelensibus, donec tandem baptismi sacramentum acceperunt.

3. DE SEMIGALLORUM CONVERSIONE. Post reditum antistitis in Lyvoniam cum peregrinis suis venerunt ad eum Semigalli de Mesyote, petentes auxilium contra Letones. Et ait episcopus: Si baptizari volueritis et leges accipere christianas, tune vobis auxilium prebebimus et in fraternitatis nostre consorcium recipiemus. Et dixerunt illi: Baptizari quidem propter aliorum Semigallorum et Letonum ferocitatem non audemus, nisi missis viris tuis ad nos in castrum nostrum ab illorum impugnatione nos tuearis, qui nobiscum commanentes et baptismi poterunt nobis ministrare sacramentum et leges docere christianorum. Et placuit episcopo simulque Rigensibus consilium eorum et remisit cum eis nuncios suos, requirere consensum eciam eorum, qui domi fuerunt. Et venerunt iterum atque sepius postulantes id ipsum.

DE BAPTISMO FORUM. Tunc tandem surrexit episcopus cum duce Saxonie et cum quibusdam aliis peregrinis et cum preposito beate Marie et cum viris suis et abiit in Semigalliam, et residens pacifice iuxta castrum Mesiothe convocavit ad se Semigallos eiusdem provincie. Qui, sicut promiserant, fideliter obedientes convenerunt omnes et recipientes doctrinam ewangelicam baptizati sunt virorum fere trescenti, exceptis mulieribus et parvulis eorum, et factum est gaudium de conversione eorum. Post hec ad petitionem ipsorum locavit episcopus viros suos cum ipsis in castro Mesiothe cum peregrinis quibusdam et alios de Riga misit adducere, que necessaria erant, navigio. Ipse vero cum duce et aliis reversus est Rigam.

4. Porro Vesthardus, senior aliorum Semigallorum de vicina provincia, que Thervetene vocatur, audiens conversionem illorum de Mesiothe collegit exercitum de omnibus finibus suis pace interrupta et venit ad castrum et pugnavit cum Theuthonicis per totum diem, et lignorum struem comportantes et ignem apponentes nec tamen castrum comprehendere valentes dimicabant fortissime. Et interfectus est sagitta filius sororis Vesthardi. Quo viso contristatus est ipse

divertitque statim de castro cum exercitu suo. Et audivit alios de Theuthonicis navigio venientes in flumine Missa, quibus festinanter occurrit, et in loco stricto conveniens cos, ubi modica fuit in flumine profunditas, comprehendit ex eis XXXa viros vel paulo plures et interfecit eos, et alii fugientes in Rigam redierunt. Inter quos erat Segehardus, sacerdos Cysterciensis ordinis, missus ad castrum ipsum a Dunemunde in obsequium episcopi Bernardi, ad cuius episcopatum preoccupatus erat locus idem. Qui sedens in littore, videns paganos venientes ponebat manicam cuculle super caput suum, feritatem paganorum exspectans. Et in manus Domini spiritum commendans percussus est ipse cum aliis, quorum anime in martyrum societate sine dubio cum Christo gaudebunt, quorum negocium sanctum erat, eo quod vocati venerunt ad baptizandum paganos vineamque Domini plantandam, quam sanguine suo plantaverunt; ideoque sunt corum anime sanctorum in celis coequales. Audientes itaque Theuthonici, qui in castro fuerunt, suorum interfectionem et non habentes, que necessaria fuerunt in annum simulque considerantes Semigallorum et Letonum nec non et Curonum ferocitatem contra nomen christianum, surrexerunt cum omnibus suis, et relicto castro abierunt in Rigam. Semigalli vero iam baptizati recidivantes sacramentorum susceptorum immemores aliis Semigallis se coniunxerunt, et cum eis et Letonibus conspirantes et se confederantes contra Rigenses et Lyvones et omnes christianos. Et congregaverunt se simul omnes, tam adhuc pagani quam baptizati, in ipsum castrum, fodientes illud et edificantes munitionem ipsius firmissime; et euntes in expeditionem contra Lyvones Holmenses ceperunt occidere et spoliare eos. Lyvones quoque, intrantes terminos eorum, similia mala eis inferebant. Et audivit episcopus et dux Saxonie Albertus suorum interfectionem et omnia mala, que faciebant Semigalli, misit ad omnes Lyvones et Lettos, mandans eis, ut essent parati, si quando Dominua prosperum concederet iter, ad faciendam vindictam in nationibus.

5. DE EXPEDITIONE LETTORUM. Interea Letti de Kukenoys et alii quidam Letti fratrum milicie, Meluke et Warigribbe, non immemores omnium malorum, que Rutheni de Plescekowe et Nogardenses anno preterito in Lyvonia perpetraverant, abierunt in Rusciam et depredantes villas et viros interficientes et mulieres captivantes omnem terram circa Plescekowe desertam posuerunt, et redeuntibus illis alii abierunt et similia mala fecerunt et predam multam omni tempore retulerunt. Et relinquentes aratra sua terram Ruthenorum incolebant, insidiantes eis in campis et in silvis et in villis ceperunt et interfecerunt eos et nullam requiem dantes eis equos et pecora et mulieres eorum tulerunt.

DE EXPEDITIONE RUTHENORUM AD LETTOS. Rutheni vero de Plescekowe circa autumpnum collegerunt exercitum et venerunt ad terram Lettorum et despoliaverunt villas eorum et sederunt in finibus Meluke et Warigribbe, devastantes omnia, que habebant, et frumenta cremantes nichil eorum malorum, que facere poterant obmiserunt. Et misit magister milicie in Wenden ad Lettos omnes, ut venirent ad expellendum Ruthenos de terra. Sed abeuntibus Ruthenis visum est Lettis, de persecutione Ruthenorum modicum se lucrum reportare.

6. DE EXPEDITIONE IN GERWAM. Et converterunt exercitum suum in Sackalam et accipientes secum Sackalanenses transiverunt Palam et intrantes Gerwam percusserunt terram illam plaga magna, viros interficientes, mulieres capientes, equos et pecora et spolia multa tollentes, dicentes eos contra Danos in auxilium venisse Revelensibus. Et venerunt ibidem ad Rodolfum magistrum milicie seniores eiusdem provincie Gerwanensis, dicentes se pacem Rigensium iam dudum recepisse coram comite Alberto simulque baptismum eorum suscepturos, rogantes eum, ut cum exercitu suo de finibus ipsorum exiret. Et accepit Rodolfus

pueros eorum obsides, renovando cum eis pacem. Unde iura cuncta quondam ab eis accepta et fidem et leges promiserunt se deinceps servare christianas. Et suggerebant fratribus milicie, ut cicius redirent ad eundum cum eis. in Vironiam cum exercitu, ut iugum illud christianitatis eciam ad illas deferrent provincias. Et promiserunt eis et reversi sunt cum omni preda sua in Lyvoniam.

7. DE EXPEDITIONE IN VYRONIAM. Post expeditionem Gerwanensem fratres milicie de Wenden ad se convocaverunt viros episcopi, Gerhardum advocatum cum omnibus Lyvonibus ac Lettis et comitem iuvenem de familia episcopi cum ceteris Rigensibus et profecti sunt in Saccalam, accipientes secum Sackalanenses et eciam. Ugaunenses et progressi sunt in Gerwam, et eligentes sibi de Gerwanensibus vie duces per totam noctem intraverunt Vironiam, que est terra fertilis et pulcherrima et camporum planicie spaciosa. Et sequebantur eos Gerwanenses tam equites quam pedites. Et non audierant Vironenses exercitum Lyvonensem venientem et erant omnes in villis et in domibus suis; et mane facto diviserunt exercitus ad omnes provincias et dederunt alias Gerwanensibus, alias Ugaunensibus, et alias dederunt Lyvonibus et Lettis despoliandas. Et invenerunt omnem populum per universam Vironiam in villis et percusserunt eos a magno usque ad minorem et non pepercerunt eis, quotquot masculini sexus invenerunt, et mulieres et parvulos capientes et equos et pecora multa compellentes spolia multa tulerunt. Et posuerunt Theuthonici suam congregationem in villa magna, que Turme vocatur; Lyvones et Letti suam mayam elegerunt in Avispe, Sackalanenses in Revelensi provincia resederunt, Gerwanenses in suis provinciis quieverunt, Ugaunenses provinciam sibi conterminam, que Pudiviru vocatur, depredantes ibidem consederunt. Et postquam graviter nimis diebus quinque totam terram illam percusserunt et milia multa populorum interfecerunt, venerunt tandem ad nos seniores provinciarum, qui per fugam evaserant, suppliciter pro pace petentes. Et ait Rodolfus, fratrum milicie. magister: Numquid nam pacem adhuc desideratis, qui pacem nostram bellis vestris sepe turbastis? Sed pax non dabitur vobis, nisi pax illius veri pacifici, qui fecit utraque unum, coniungens et pacificans terrena celestibus. Qui de celo desideratus gentibus rex descendit, exspectatio et salvator earum. Qui precepit discipulis suis, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos. Si ergo volueritis baptizari et eundem Deum unum christianorum nobiscum colere, pacem illam, quam nobis dedit, quam abscedens cultoribus suis reliquit, vobis dahimus et in perpetue fraternitatis nostre consorcium recipiemus. Et placuit eis verbum et statim promiserunt omnia christianitatis iura cum baptismo Rigensium se fideliter accepturos, Erat autem inter eos Thabelinus, quondam a nostris in Gothlandia baptizatus, et Kyriawanus alter, qui petebat a nobis bonum deum sibi dari, dicens se malum deum hactenus habuisse; fuerat enim homo idem infelicissimus usque ad illud tempus in omni negocio suo. Sed postquam baptizatus est a nobis, factus est homo felicissimus, prout postmodum confessus est nobis, et omnia prospera venerunt ei pariter cum baptismo. Ad petitionem itaque ipsius importunam ibidem Deum promisimus sibi propicium et temporalia sibi sufficienter eum in hac vita daturum et in futuro vitam eternam. Et credidit nobis, et statim cathezizavimus eum, et astabat ei Rodolfus magister milicie patrinus. Dumque iam eum in sacro linire deberemus oleo, factus est clamor magnus et concursus exercitus nostri per omnes plateas, et currebant omnes ad arma, clamantes magnam paganorum malewam contra nos venientem. Unde nos confestim proiecto sacrosancto crismate ceterisque sacramentis ad clypeorum gladiorumque ministeria cucurrimus et festinavimus in campum, ordinantes acies nostras contra adversarios nostros, et stabant nobiscum seniores Vironensium. Et appropinquaverunt ad nos in magna multitudine, quos putabamus hostes. Et erant Sackalanenses, confratres nostri, qui redierunt ad nos cum omni preda sua.

DE PACE FACTA CUM VYRONENSIBUS ET OBSIDIBUS DATIS ET FIDE RECEPTA. Unde redeuntes consummavimus baptismum, differentes ceteros tempore suo baptizandos. Et data est pax, et acceptis obsidibus de quinque provinciis Vyronie reversi sumus in Lyvoniam cum captivis et spoliis universis, de gencium conversione laudes Domino referentes. Et sequuti sunt quinque seniores de quinque provinciis Vyronie in Rigam cum muneribus suis, et accipientes sacri baptismatis mysterium tradiderunt se totamque Vyroniam beate Marie et Lyvonensi ecclesie pacemque firmantes redierunt gaudentes in Vyroniam.

8. DE EXPEDITIONE MAGNA CONTRA SEMIGALLOS IN MESIOTE. Post festum nativitatis Dominice conveniunt seniores Lyvonensis ecclesie, expeditionem indicentes contra gentem apostatricem in Mesiote congregatam, sed a ventis australibus et pluviosis impediuntur. Unde celebrata purificationis beate Virginis solempnitate secundo congregantur, convocantes exercitum magnum de Lyvonia et Lettia, cum quibus adest primus venerabilis antistes Lyvonensis cum duce Saxonie et peregrinis omnibus, magister milicie cum fratribus suis. Et habentes quatuor milia Theuthonicorum et alia quatuor Lyvonum et Lettorum procedunt in Holme, ducentes secum machinam magnam et alias minores ceteraque instrumenta ad castri impugnationem. Et per totam noctem euntes et aput Missam exercitum ordinantes progrediuntur ad castrum villamque, que erat in circuitu, capientes spoliaque tollentes castrumque obsidentes bellum inferunt eis multis diebus. Quorum alii propugnaculum edificant, alii paterellos erigunt, alii balistas exercent, alii edificant ericios, de subtus fodere vallum incipiunt, alii lignorum comportationibus fossatum implent, et propugnaculum desuper impellitur, sub quo ab aliis foditur. Multi Semigallorum in castro lapidum iactibus leduntur, multi sagittis vulnerantur et multi lanceis Lyvonum ac Lettorum de propugnaculo interficiuntur. Ad hec rebellis turba repugnare non cessat. Erigitur tandem machina maior, iactantur in castrum lapides magni, quorum magnitudinem intuentes in castro terrorem magnum concipiunt, Fit ipse dux rector machine, proiecit lapidem primum et erkerum ipsorum et viros in eo comminuit; proiecit secundum et plancas cum lignis munitionis in terram deiecit; proiecit tertium et arbores tres magnas munitionis perforando constringit hominesque ledendo concutit. Quo viso castrenses de munitione fugiunt, loca tutiora adire querunt, sed refugium non habentes veniam petunt, ut ad episcopum descendant, supplicant. Datur pax, conceditur via, descendunt Made et Gayle cum ceteris. Quibus ut castrum tradant, dicitur, et omnia, que in co sunt, ut ipsi vitam habeant. Displicet hec forma, revertuntur in castrum, fit pugna maior priore. Cuncta bellorum innovantur machinamenta, milites armis se tegunt, una cum duce vallum conscendunt, castri summitatem capere cupiunt, sed repelluntur adhuc a semivivis illis, qui in castro fuerunt. Post hec lignorum multorum strues fiunt, ignes apponuntur et affliguntur perfidi modis omnibus, donec tandem deficientes sequenti mane se tradunt et a munitione singillatim exercitui nostro descendentes se tradunt et colla subiciunt. Circa meridiem, postquam iam numerum implent fere ducentorum descendendo, ecce subito Vesthardus cum suis Semigallis et Letonibus turba magna prospiciens de silvis venit, bellum nobis inferre cupientes. Et statim ordinavimus acies nostras contra ipsos et pedites circa castrum locavimus. Et veniunt stulti quidam ex nobis, quorum infinitus est numerus, et rapientes seniores eosdem, qui de castro descenderant, occidunt ex eis centum et plures ignorantibus dominis, qui ad pugnandum contra paganos in campum abierunt. Viewaldus autem, senior de Ascrade, vicinius ad hostes accedit, ut cum Theuthonicis pugnaturi veniant in campum eos vocat. At illi: “Mercedem”, inquiunt, a Semigallis accepimus, ut ad videndum exercitum vestrum veniremus. Nunc ergo viso exercitu vestro redimus in terram nostram, pacem vobiscum factam infringere nolentes. Et abeuntibus Letonibus Theuthonici redeunt ad castrum, seniores occisos invenerunt. Qui in castro

remanserant, videntes suos occisos deinceps exire non audent. Fit nova pugna, sagitte volant, lancee Lyvonum ac Lettorum de propugnaculo multos illorum interficiunt, ignes accenduntur, vallum suffossum cum munitione iam ad terram dilabitur, Quod videntes illi nulliusque defensionis amplius solatium habentes per totam noctem suppliciter exorant, quatenus eis pacis securitas firmetur, ut de castro descendentes vitam optineant. Quorum misertus episcopus cum duce et omni multitudine, misit eis signum crucis sancte in castrum, et crediderunt eis et promiserunt deinceps se sacri baptismi sacramentum numquam violare. Et descenderunt de castro cum mulieribus et parvulis suis et abierunt in villas suas. Exercitus quoque castrum ascendens diripuit pecunias et substantiam omnem et equos et pecora, et Lyvones et Letti nichilibi relinquentes omnia tulerunt. Et incenso castro cum omni rapina reversi sunt in Lyvoniam, Deo gratias referentes de vindicta facta in gente illa prevaricatrice, que verborum suorum oblita fidem Christi respuit, baptismi gratiam irrisit, paganorum ritibus iterum contaminari non timuit.

9. Reversi Rigenses de Semigallia reduxerunt ad memoriam omnia mala, que Harionenses et Osilienses Lyvonensi sepius intulerant ecclesie, et quiescentes duabus ebdomadis, tam ipsi quam equi eorum, iterum congregaverunt exercitum magnum Lyvonum ac Lettorum et Theuthonicorum, et erat cum eis dux Saxonie Albertus, senior eorum, et magister Volquinus cum fratribus suis, et Theodericus frater episcopi cum ceteris viris ecclesie. Et convenerunt prope Saccalam, ubi locus colloquiorum exercitus et orationum fuerat, celebratisque ibi missarum solempniis processerunt ad Palam, convocantes ibidem ad se Saccalanenses et Ugaunenses nec non et Gerwanenses, et elegerunt sibi vie duces ex eis et diviserunt omnem exercitum suum in tres turmas et missis sortibus optinuerunt Lyvones viam ad sinistram, Estones vero viam ad dextram sorte perceperunt; Theuthonici vero cum Lettis solito more sibi viam mediam usurparunt. Surgentes itaque mane ante lucem processimus in Nurmegunde via media, et orto iam sole oriuntur ante faciem nostram ignes et fumi multiplices in terra Gerwanensi, Fuerunt autem Gerwanenses ab ecclesia Lyvonensi iam sepius expugnati, et erant filii corum obsides in Lyvonia et tam censum suum annuatim solvere, quam baptismum recipere fuerant parati. Unde Osilienses congregato exercitu magno sorte deorum suorum requirebant voluntatem, an cum Danis in Revele pugnaturi, an Gerwanensem essent provinciam intraturi. Et cecidit sors super Gerwanenses, Et misit eos Deus codem die, quo nos venimus. Qui diviserunt exercitum suum eodem mane per omnes villas, despoliantes et incendentes eas, quorum ignes et fumos videntes quidam ex nostris, dux videlicet Albertus cum militibus suis et magister Volquinus cum fratribus suis, et induebant arma sua et processerunt in Gerwam obviam inimicis. Et invenientes omnes villas incensas ac despoliatas, magis festinaverunt post eos et habuerunt quosdam obvios de Gerwanensibus, qui per fugam ab hostibus evaserant. Et retulit eis unusquisque corum verbum, dicens: Percusserunt Osilienses terram nostram plaga magna nimis, et effugi ego solus, ut nunciarem vobis. Auditis itaque nominis Christi inimicis acceleravimus ad eos et post horam nonam quatuor ex eis villam incendentes comprehendimus, quibus occisis equisque ablatis post alios properavimus et cum Lettis, qui leviores erant ad persequendum eos, processimus ad villam, que Carethen vocatur, ubi maia eorum et congregatio fuit. Ad quam cum veniremus, vidimus omnem eorum multitudinem adversum nos repente venientem ad preliandum in campum. Et clamantes voce magna clypeosque tangentes accesserunt ad nos et, qui remanserant in villa, subsequebantur ad suos videntesque paucitatem nostrorum currebant, mittentes lanceas suas super nos. Exclamaverunt eciam et Letti et hi, qui nobiscum erant, qui primo venerant et adhuc erant paucissimi, et similiter currebant ad eos, mittentes lanceas suas. Erat autem arta via nostra pre

congelatione nivis, et unusquisque post alium sequebatur. Et ideo Theuthonici de longe post tergum sequentes adhuc nondum venerant, et erat nobis primis corum mora gravis. Confidentes itaque in Domino Lettos ad sinistram ordinavimus, Theuthonici vero singuli per viam venientes ad dextram se statuerunt. Et ut vidimus fratrum milicie vexillum appropinquare, simul et ducem cum magno suo subsequi vexillo quam plurimum letificati sumus. Et videns dux nostrorum paucitatem eorumque multitudinem ait: “Numquid nam ipsi sunt hostes Christi?” Et ait quispiam: “Ipsi sunt”. Et ait: “Nunc ergo accedamus ad eos. Et statim cum fratribus milicie simulque cum aliis Theuthonicis et Lettis properaverunt ad eos et irruentes per medium eorum interfecerunt a dextris et sinistris, et cadebant ex els ex omni parte tamquam fenum, quod coram metente se cadit in terram. Et percusserunt eos usque ad villam, et fugientes eos persequuti sunt per plateas et domos, et extrahentes eos interfecerunt, et supra domos ascendentes et super congeries lignorum se defendentes rapuerunt eos et in ore gladii cunctos perimentes nemini corum parcere voluerunt. Et exilientes mulieres Gerwanensium, que captive ducte fuerant ab Osiliensibus, percusserunt eciam ipse cum fustibus Osilienses iam ante percussos, dicentes: Te percutiat Deus christianorum!” Et persequuti sunt eos Theuthonici de villa in campum, occidentes eos per campos usque ad lucum ipsorum, et ipsam sanctam silvam ipsorum multorum interfectorum suorum. sanguine maculaverunt.

Letti vero circa villam sequentes quibusdam fugientibus obviaverunt et ventilantes eos hac et illac, interfecerunt eos et auferentes equos tulerunt spolia eorum reversique sunt ad locum certaminis et acceperunt equos et vestes et predam multam, captivos autem cum mulieribus et parvulis Gerwanensibus restituerunt. Sed equos et aliam rapinam cunctam Theuthonici cum Lettis equaliter inter se diviserunt, benedicentes Dominum, qui tam gloriosam victoriam de paganis in manu paucorum operatus est. Erant autem interfectorum in loco certaminis circiter quingenti, et alii plures per campos et per vias et alibi ceciderunt. Ex nostris vero ceciderunt duo et ex Lettis duo, frater Russini et frater Drunwaldi de Astigerwe, comes iuvenis de familia episcopi milesque ducis unus, quorum memoria sit in benedictione et anime eorum requiescant in Christo, Lyvones vero, qui ad sinistram via alia abierant, et Estones, qui ad dextram declinaverant, sicut nec ad bellum venerunt, sic nec partes in divisione spoliorum acceperunt, sed via sua directa per noctem in Hariam irruerunt et mane facto dividentes exercitum suum per omnes villas percusserunt viros et mulieres captivas duxerunt et predam multam collegerunt. Quos insequentes Theuthonici cum Lettis sequenti die similia mala faciebant et posuerunt congregationem suam in villa Lone, que est in media terra, Lyvones vero alibi suam maiam statuerunt et Saccalanenses prope Revele resederunt, qui mandatum seniorum transgredientes eciam Revelensem provinciam spoliaverunt, que Danorum verbum iam receperat, Miserunt autem ad nos Warbolenses, rogantes ea, que pacis essent, et ut de finibus eorum exiremus. Et ait magister Volquinus: “Si volueritis”, inquit, “nobiscum unum Deum colere fonteque sacri baptismatis Irrigari et filios vestros obsides dare, pacem vobiscum perpetuam faciemus.” Et placuit verbum hoc Warbolensibus et dederunt obsides.

10. Miserunt quoque nostri nuncios suos ad archiepiscopum, venerabilem domnum Andream, et ad alios episcopos Danorum et viros regis, qui erant in castro Revelensi, Qui statim miserunt viros regis ad nos, referentes gratias Deo et nobis de paganorum impugnatione, tam Osiliensium quam Harionensium, addentes insuper totam Estoniam regis esse Dacie, traditam sibi ab episcopis Lyvonensibus. Et rogabant obsides Warbolensium sibi presentari. Magister vero Volquinus donationem Estonie regi Dacie se firmiter allegans ignorare, coram duce Saxonie et coram cunctis, qui ibidem cum eis convenerant, Estoniam totam vexillo beate

Virginis a Rigensibus ad fidem christianam subiugatam referebat, preter solam Revelensem provinciam et insulam Osiliensium. Et ait: “Obsides quidem presentis provincie Harionensis patribus eorum restituimus, volentes in hoc regem Dacie libenter honorare, sub hac tamen conditione, quatenus Rigensium iuris nichil per hoc diminuatur.” Unde relictis ibidem obsidibus eiusdem provincie cum preda nostra reversi sumus in Lyvoniam. Erat autem preda Lyvonum magna nimis, qui speluncas Harionensium subterraneas, ad quas semper confugere solebant, obsidentes et fumos et ignes in ore speluncarum incendentes, nocte ac die suffumigantes, eos suffocabant omnes, tam viros quam mulieres. Et alios iam expirantes, alios semivivos, alios mortuos extrahentes de speluncis, interfecerunt eos et captivos alios duxerunt et omnem substantiam eorum et pecuniam et vestes et spolia multa tulerunt. Erant autem suffocatorum promiscui sexus ex omnibus speluncis anime hominum fere mille. Et post hoe reversi sunt Lyvones cum Theuthonicis, Deum benedicentes, eo quod eciam superba Harionensium corda ad fidem christianam humiliavit.

11. Eodem anno mortuo Theoderico, venerabili Estiensi episcopo, qui gladiis impiorum in Revele iugulatus in martyrum, ut speramus, consorcium transivit, antistes Lyvonensis Albertus in locum ipsius fratrem suum Hermannum, non minus venerabilem apud Bremam sancti Pauli abbatem, substituit et mittens nuncios per Curoniam et Samlandiam in Theuthoniam factum hoc ei significavit. Unde ipse ad archiepiscopum Magdeburgensem accedens ab eo consecratus est episcopus in Estoniam, Quo audito rex Dacie iter ipsius in Lyvoniam ad aliquot annos impedivit. Qua de causa idem episcopus ad regem veniens episcopatum ab eo promisit recipiendum et ei fideliter adherendum.

XXIV

1. Annus bisdecimus antistitis atque secundus Iam fuit, et modicum Lyvonum terra quievit.

Idem antistes predicatores in Estoniam mittere sollicitus, cuius instantia sollicitudo semper omnium ecclesiarum, misit Alabrandum sacerdotem et Ludovicum in Saccalam. “Qui quam plures de Gerwa et aliis provinciis baptizantes iterum reversi sunt in Lyvoniam. Et missis nunciis in Rusciam episcopus verbis pacificis cum Nogardensibus locutus est interimque sacerdotes alios in Estoniam mittere non distulit. Quorum erat primus Petrus Kaikewalde de Vinlandia et Henricus, Lettorum minister de Ymera. Qui simul abeuntes in Estoniam pertransiverunt Ugauniam iam ante baptizatam, donec ad flumen, quod Mater Aquarum dicitur, apud Tarbeten pervenirent. Et incipientes a flumine doctrine christiane semina spargere, villas circumiacentes sacro regenerationis fonte rigabant. Et in Lovecotte simul et in aliis villis sacri baptismatis mysteriis celebratis processerunt in Sadegerwe convocatisque populis ibidem circiter trecentos baptizaverunt.

Et post hec ad alias villas circumeuntes similiter faciebant. Et venerunt in Waigam et homines illius terre sacris mysteriis imbuentes, baptizaverunt omnes et tandem in Riole, quod erat extremum castellum eorum, convocatis hominibus doctrinam eis ewangelicam tradiderunt. Et baptizatis ibidem promiscui sexus quingentis in Vironiam processerunt. Et receperunt eos Virones de prima provincia, que Pudyviru vocatur, et baptizati sunt omnes ab eis de quatuordecim villis una cum Tabelino, seniore ipsorum, qui postmodum a Danis suspensus est, eo quod baptismum Rigensium acceperat et filium suum fratribus milicie obsidem posuerat. Ceteri vero Vironenses de provinciis aliis propter comminationem Danorum Rigensium

sacerdotes recipere non audentes Danos utpote sibi vicinos ad se vocaverunt et baptizati sunt ab eis. Credebant itaque Vironenses unum Deum esse christianorum, tam Danorum quam Theuthonicorum, et unam fidem unumque baptisma, et nullam inde provenire discordiam putantes Danorum sibi vicinorum baptismum indifferenter accipiebant. Rigenses autem Vironiam suam esse, tamquam a suis ad fidem christianam subiugatam allegantes sacerdotes predictos ad ipsam baptizandam transmiserunt.

2. Sed Dani ipsam terram sibi vicinam preoccupare cupientes sacerdotes suos quasi in alienam messem miserunt. Qui baptizantes villas quasdam et ad alias suos mittentes, ad quas ipsi venire tam subito non potuerunt, et cruces magnas ligneas in omnibus villis fieri precipientes et aquam benedictam per manus rusticorum mittentes et mulieres ac parvulos aspergere iubentes, sacerdotes Rigenses taliter prevenire conabantur et hoc modo totam terram ad manus regis Danorum preoccupare studebant. Quod intelligentes Petrus et Henricus in Gerwam abierunt, et baptizatis ibidem in primis villis quam plurimis hominibus audierunt Woltherum sacerdotem Danorum illuc venisse; occurrerunt ei, dicentes terram ipsam in Rigensium esse potestate, et vineam ipsam per vexillum beate Virginis studio peregrinorum et Rigensium labore plantatam affirmarunt.

Et post hoc abeuntes in castrum Danorum cum ipso sacerdote coram venerabili archiepiscopo Andrea Lundensi idem referebant. Sed archiepiscopus idem totam Estoniam, sive a Rigensibus expugnatam, sive nondum adhuc subiugatam regis Dacie esse dicebat, a Rigensibus episcopis sibi collatam, missisque nunciis Rigam, ne racemos dependentes colligerent mandavit nec sacerdotes suos in angulos Estonie ad predicandum mitterent. Cui rescripsit Rigensis episcopus, venerabilis Albertus, vineam ipsam Estiensis ecclesie pluribus annis ante tempora Danorum a suis iam dudum plantatam, sanguine multorum et bellorum incommodis multis excultam sacerdotesque suos non in angulis Estonie, sed in media Gerwa, verum eciam in Vironia et usque in faciem ipsius archiepiscopi comparuisse.

Quo cognito rex Dacie contra episcopum Rigensem quodammodo commotus, ad presenciam tamen suam ipsum cum fratribus milicie vocavit. Quo non veniente, sed ad summum pontificem pro eadem causa properante fratres milicie, Rodolfus de Wenden cum ceteris, venerunt ad regem. Et dedit eis rex Saccalam et Ugauniam, lam dudum a Eigensibus subiugatam et baptizatam, cum adiacentibus provinciis pro sua tercia parte Estonie, excluso Lyvonensi episcopo cum fratre suo Hermanno, noviter consecrato. Et pervenit in Rigam verbum hoc, et dure accepit Bernardus episcopus cum ceteris Rigensibus, et convenerunt cum fratribus milicie, statuentes amice trifariam Estonie divisionem et episcopis, sicut hactenus sic et deinceps, suas partes attribuentes fratribus suam terciam reliquerunt. Dani quoque, postquam Revelensem provinciam totam baptizaverunt, miserunt sacerdotes suos ad Harionenses et baptizatis illis incitaverunt eos, ut irent ad Gerwanenses cum exercitu, quatenus timore illo correpti a dominio Rigensium recederent et ipsorum dominium et baptismum reciperent. Et ibant Harionenses in ipsam terram Gerwanensium estate eadem novem vicibus cum exercitibus suis, despoliantes eos et occidentes quamplures ex eis et captivantes, ut eciam ipsum sacerdotem Danorum inter alios vulnerando ferirent, donec tandem plurimi eorum dominium ac baptismum Danorum elegerunt, Similiter et Vironenses a Rigensibus primitus expugnati, comminatione Danorum exterriti verbum eorum atque dominium acceperunt. Unde archiepiscopus episcopum novum in Vironiam et Gerwam consecravit, Revelensi episcopo provincias Harionenses attribuens.

3. Interim rex Suecie Iohannes cum duce suo et episcopis suis collecto exercitu magno venit in Rotaliam, cupiens aliquas partes in Estonia ac dominatum adipisci. Et resedit in castro Lealensi, ad quod erat episcopus Hermannus, frater Lyvonensis, a domno papa confirmatus, co quod eadem provincia fuerit quondam a Rigensibus expugnata et fidei rudimentis initiata. Et circumiverunt Sueci per provinciam, docentes et baptizantes ex eis et ecclesias edificantes. Et pervenerunt ad Danos in Revele, colloquentes cum eis. Miserunt quoque Rigenses nuncios ad ipsos, dicentes ipsas provincias a suis ad fidem christianam subiugatas, monentes eciam ipsos, ne dolosis verbis Estonum perfidorum nimium confidentes minorem circa se curam adhiberent, Rex autem idem locatis in castro viris suis, videlicet Lealensi, cum duce Carolo et episcopo, reversus est in Sueciam. Et cum esset eis ex altera parte Lyvonia et ex altera parte Dani, ipsi quoque in medio constituti minorem de paganis timorem habere ceperunt. Et factum est in uno dierum apparente primo diel diluculo, venerunt Osilienses de mari cum exercitu magno et obsidentes eosdem Suetones, pugnaverunt cum eis et ignem apposuerunt ad castrum eorum. Et exiverunt Sueci ad eos, dimicantes cum eis et non valuerunt tante resistere multitudini. Et ceciderunt Sueci interfecti ab eis et captum est castrum et dux cecidit et episcopus per ignem et gladium occisus est et in martyrum, ut credimus, consorcium transmigravit. Et venerunt postmodum Dani, colligentes corpora eorum, et cum luctu sepulture tradiderunt. Similiter et Rigenses, audientes interfectionem corum, luctum super cos cum gemitu diebus multis habuerunt. Erant autem interfectorum fere quingenti, quorum pauci per fugam evaserunt et in Danorum castrum pervenerunt. Ceteri omnes in ore gladii corruerunt, quorum memoria in benedictione et anime eorum requiescant cum Christo.

4. Episcopus vero Lyvonensis mare transiens venit in Lubek et cognitis insidiis regis Dacie fidelium suorum amicorum auxilio clam exivit de civitate et cum festinatione pervenit in curiam Romanam ad summum pontificem, qui misericorditer et paterne suas exaudivit petitiones. Misitque rex Dacie nuncios suos contra eum, qui non modicum negotium ecclesie Lyvonensis in curia Romana disturbabant et sibi minus modico proficiebant. Et abiit episcopus Lyvonensis ad imperatorem Fridericum, tunc noviter ad imperium sublimatum, querens ab eo consilium et auxilium tam contra regis Dacie quam Ruthenorum sive paganorum aliorum importunam infestationem, eo quod Lyvonia cum provinciis omnibus subiugatis ad imperium semper haberet respectum. Imperator vero diversis et altis imperii negotiis occupatus modicam episcopo consolationem impendit, qui se terram sanctam Ierosolymitanam visitare promisit et inde sollicitus auxilium episcopo subtraxit, monens eum tamen et docens, verbum pacis et amicicie tam cum Danis quam cum Ruthenis habere, donec novelle plantacioni firmum postmodum superedificaretur edificium. Cumque nullum episcopus perciperet solatium tam a summo pontifice quam ab imperatore, rediit in Theuthoniam. Et visum est ei bonorum virorum consilio, regem Dacie potius adire, quam Lyvonensem ecclesiam periclitari. Prohibebat enim rex Dacie Lubecensibus naves peregrinis in Lyvoniam prestare, donec episcopum ad suum emolliret consensum, Unde tandem idem venerabilis antistes cum fratre suo Hermanno episcopo regem Dacie prefatum adivit et tam Lyvoniam quam Estoniam in potestatem ipsius commisit, ita tamen, si prelati conventuum suorum nec non et viri sui et Rigenses omnes cum Lyvonibus et Lettis in hanc formam consensum suum preberent. Et mortua est eodem tempore regina, uxor videlicet regis Dacie, in partu. Et ait quispiam novellam ecclesiam, tunc in potestatem regis ipsius traditam, que paritura erat cottidie prolem spiritualem, temporibus sui principatus indubitanter periclitandam. Et vera retulit ille, sicut infra patehit.

5. Medio tempore litigantibus aliis pro terrarum dominatibus abiit iterum Lettorum de Ymera sacerdos in Estoniam, assumpto secum alio sacerdote Theoderico, tunc noviter ordinato. Et pertranseuntes. Saccalam venerunt ad Palam et incipientes ab codem flumine provinciam vicinam, que Normegunde vocatur, sacri baptismatis fonte rigabant, per singulas villas maiores moram facientes, populum convocantes, doctrinam ewangelicam eis tradiderunt. Et per septem dies circumeuntes, singulis diebus trecentos aut quadringentos promiscui sexus baptizaverunt. Post hoc in Gerwam abierunt et provinciam extremam versus Vironiam, que Loppegunde vocatur, nondum baptizatam adeuntes in singulis villis maioribus sacri baptismatis mysterium celebrabant, donec ad villam, que Kettis vocatur, venirent et idem faciebant ibidem; ubi postea Dani ecclesiam edificaverunt, sicut et in aliis pluribus villis a nobis baptizatis fecerunt. Tandem villam, que Reineveri vocatur, attingentes ad convocandum populum de villis aliis miserunt. Et ait rusticus, qui fuit senior eorum: “Iam omnes”, inquit, baptizati sumus. Et requirentibus illis, cuius baptismate baptizati essent, respondit ille: Cum essemus in villa Iolgesim, quando sacerdos Danorum ibi baptismi sui tractavit sacramenta, baptizavit viros quosdam ex nostris et dedit nobis aquam sanctam, et reversi sumus ad proprias villas et cum eadem aqua aspersimus et baptizavimus unusquisque nostram familiam, uxores. et parvulos, et vobis ultra quid faciemus? Cum enim semel baptizati sumus, vos ultra non recipiemus. Quo audito sacerdotes modicum subridentes et excusso pulvere pedum in eost ad alias villas festinantes in confinio Vironie tres villas baptizaverunt, ubi erat mons et silva pulcherrima, in qua dicebant indigene magnum deum Osiliensium natum, qui Tharapita vocatur, et de illo loco in Osiliam volasse. Et ibat alter sacerdos succidens imagines et similitudinest deorum suorum ibi factas, et mirabantur illi, quod sanguis non efflueret, et magis sacerdotum sermonibus credebant, Consummato ergo per septem dies baptismate in illa provincia reversi sunt sacerdotes ad aliam provinciam, que Mocha vocatur, et similiter ebdomadam ibidem implentes circumiverunt ad villas et quolibet die circiter trecentos aut quingentos promiscui sexus baptizaverunt, donec eciam in illis finibus consummato baptismate paganorum ritus abolerent. Et de provincia illa procedentes in Waigam invenerunt in via villas plures, que nondum fuerunt ab aliquibus sacerdotibus visitate, baptizatisque viris omnibus ibidem et mulieribus et parvulis circa stagnum Wordegerwe euntes venerunt in Waigam et, cum Waiga iam ante fuerit baptizata, redierunt ad provinciam, que logentagania vocatur, et singulas villas visitantes, que remanserunt ante nondum baptizate, videlicet Igeteveri, Wetpole et Wasala cum pluribus aliis, baptizaverunt omnes viros ac mulieres ac parvulos eorum. Et expleta ibidem ebdomada consummatisque in finibus illis. sacri baptismatis mysteriis gaudentes reversi sunt ad Matrem Aquarum et in utraque parte fluvii similiter opus pietatis et doctrine studium circa non baptizatos adimplentes, tandem redierunt in Odenpe vineamque plantatam et sacro fonte rigatam Deo, qui incrementum daturus erat, committentes reversi sunt in Lyvoniam.

6. Post modicum vero temporis rediit iterum idem Theodericus sacerdos in Gerwam et Vironiam ad baptizatos suos et habitavit ibidem cum eis. Et audientes Dani comprehenderunt eum cum servo suo et auferentes eis equos et omnia, que habebant, despoliatos remiserunt in Lyvoniam. Miserunt eciam fratres episcopi Rigensis. Salomonem sacerdotem in Rotaliam post interitum Suecorum, qui benigne receptus est ab eis, promittentibus se Rigensi semper ecclesie libenter deservire, Danorum vero dominium sive baptismum se numquam accepturos. Et colligebant censum de cunctis finibus suis, sicut antea semper solebant, mittentes per manus ipsius sacerdotis Rigensibus; et venientes Dani abstulerunt omnia et remiserunt eum despoliatum in Lyvoniam.

Abiit eciam Hartwicus, fratrum milicie iuvenis sacerdos, in Ugauniam et habitavit ibi cum fratribus suis et baptizavit, quoscunque non baptizatos invenit. Similiter et Lettorum adhuc sacerdos abiit in Ugauniam et venit in Walgatabalwe versus Plescekowe et, in extremis villulis illis omnibus celebrando baptismi sacramentum, fidem eis aperuit christianam et consummato baptismate reversus est in Lyvoniam. Eodem tempore consummatus est baptismus per universam Estoniam, et baptizati sunt in omnibus finibus et provinciis Estonie populi multi, et ita, ut alii sacerdotum [mille] et plures, alii quinque milia, quidam ex eis decem milia baptizaverunt in milibus suis et plures. Et gaudebat ecclesia pacis tranquillitate et collaudabat omnis populus Dominum, qui post bella plurima tandem convertit ab ydolatria corda paganorum ad sui Dei culturam, qui est benedictus in secula.

7. Eodem eciam tempore christiani de terra Ierosolimitana ceperunt Damiatam, civitatem Egypti, et habitabant in ea, et habebat ecclesia Dei victoriam et triumphos de paganis per orbem ubique terrarum, licet nobis non longo tempore. Nam statim sequenti anno post pascha venerunt Osilienses cum exercitu magno et obsederunt Danos in Revele, pugnantes cum eis diebus quatuordecim et ignes multos accendentes, eos in hunc modum capere sperabant. Et exiverunt Dani de castro quandoque preliantes cum eis iterumque repulsi sunt ab eis post tergum in castrum. Et videntes Osilienses coggones quatuor venientes in mari, timebant regem Dacie cum exercitu venire. Et relinquentes castrum Danorum abierunt ad naves suas et reversi sunt in Osiliam. Et miserunt Dani statim et ceperunt seniores Revelensis provincie et Harionensis nec non et Vironensis et suspenderunt omnes, quotquot fuerant cum Osiliensibus in obsidione castri sui sive in consiliis eorum malignis. Et duplicem censum vel triplicem, quam ante dare solebant, imposuerunt reliquis satisfactionesque multas ac graves acceperunt ab eis. Unde maius odium Estones contra Danos habere ceperunt et dolosas malorum consiliorum machinationes semper querebant contra eos, si qualiter eos de finibus suis expellere valerent.

XXV

1. Annus erat consecrationis antistitis Alberti XXIII, Et siluit paucis Lyvonum terra diebus.

Abeunte itaque comite Adolpho de Dasle in Theuthoniam rediit iterum prefatus venerabilis antistes Rigensis cum aliis peregrinis, licet paucis, inter quos erat Bodo de Homborch, homo nobilis, cum aliis militibus et clericis. Et in reversione eiusdem episcopi cognoverunt Rigenses, quod tradita esset non tantum Estonia, verum eciam Lyvonia in potestatem regis Dacie. Et conturbati sunt omnes valde simulque omnes uno ore contradixerunt, tam prelati conventuum quam viri ecclesie et cives et mercatores et Lyvones et Letti, dicentes se ad honorem domini nostri Iesu Christi sueque dilecte genetricis hactenus prelia Domini preliari contra paganos et non in honorem regis Dacie magisque terram ipsam se velle derelinquere, quam regi predicto deservire. Et pervenit verbum hoc ad aures archiepiscopi venerabilis Lundensis ecclesie, qui fuerat in obsidione castri Revelensis paganorum persecutionibus non modicum examinatus, et cognovit se Rigensium adiutorio quam plurimum indigere misitque nuncios episcopo Rigensi, promittens se Lyvoniam in pristinam reducere libertatem. Et abiit episcopus idem cum magistro milicie et cum viris suis ad archiepiscopum eundem in Revele et acceperunt consolationem ab eo et munera, promisitque eis omni studio suo Lyvoniam iterum in suam se velle revocare libertatem, tantum ut una pace belloque unico contra paganos ac Ruthenos Theuthonici cum Danis gauderent. In Saccala vero et Ugaunia regalia cuncta simul et secularia iura fratribus milicie dederunt et episcopo spiritualia commiserunt, et reversi sunt gaudentes in Lyvonlam.

2. Post quorum reversionem venit miles quidam Godescalcus, regis Dacie nuncius, missus a rege preoccupare civitatis ipsius advocaciam ad manum regis. Et contradixerunt omnes ei, qui erant per universam Lyvoniam, tam Lyvones et Letti, quam Theuthonici in tantum, ut eciam mercatores sibi gubernatorem navis sue tam de Gotlandia in Lyvoniam veniendo, quam de Lyvonia in Gotlandiam redeundo denegarent. Et recessit ipse confusus a Lyvonia venitque in mare magnum et spatiosum et ibat sine rectore navis et projectus est a vento contrario. Et quia fortassis contra voluntatem ipsius, qui [ventis imperat], venerat in Lyvoniam, ideo non immerito venti contra eum insurrexerunt et sol iusticie non illuxit ei, eo quod Mariam matrem eius offenderat, que maris dicitur stella, quapropter et ipsa certam ipsi viam non ostendit. Taliter idem miles expulsus a Lyvonia rediit in Daciam, abrenuncians deinceps in terra beate Virginis regalem advocaciam, Sic, sic maris stella suam semper custodit Lyvoniam; sic, sic mundi domina terrarumque omnium imperatrix specialem suam terram semper defendit; sic, sic regina celi terrenis regibus imperat. Nonne imperat, quando reges multos contra Lyvoniam pugnantes exacerbavit? Nonne exacerbavit, quando regem magnum Woldemarum de Plosceke venientem in Lyvoniam cum exercitu subitanea morte percussit? Numquid non regem magnum Nogardie, qui Lyvoniam prima vice despoliavit, regno suo statim privavit, ut a civibus suis turpiter expelleretur? Et alium regem Nogardie, qui secunda vice Lyvoniam depredavit, per Tataros occidit? Numquid non regem Wissewaldum de Gercike, qui Rigenses spoliavit, igne et gladio satis humiliavit? Numquid non rex Viesceka, qui viros episcopi in Kukenois quondam mortificaverat, crudeli morte postmodum, sicut infra dicetur, in Tharbete interiit? Suecos eciam, numquid audebo dicere, qui Rotalienses provincias beate Virginis. vexillo subiugatas intraverunt, numquid non ipsi ab Osiliensibus interfecti sunt? Numquid non eciam regem Danorum, si dicere fas est, qui Lyvoniam dominio suo turbare voluit, longa et mirabili per manum paucorum captivitate turbavit? Numquid non Suellegaten nec non et alios quam plures Letonum principes ac seniores per servos suos Lyvonenses interfecit? Nonne Ako, Lyvonum in Holme quondam perfidorum princeps, cum aliis quam plurimis a Rigensibus interfectus cecidit Nonne Russinus, Lettorum senior, in castro Dabrelis occubuit? Nonne omnes seniores Thoredenses, qui perfidi dicebantur, tempore pestilencie ceciderunt et mortui sunt? Numquid non omnes seniores Osilie nec non et Rotalensium provinciarum apud Thoreidam a Rigensibus interfecti ceciderunt? Numquid non Lembitus, Vytamas cum aliis senioribus suis perfidis in Saccala a Rigensibus interfecti ceciderunt? Et quicunque tunc superfuerunt et postmodum in perfidia sua duraverunt, numquid non omnes interierunt? Ecce Dei mater, quam mitis circa suos, qui fideliter ei deserviunt in Lyvonia, qualiter ipsa semper defendit eos a cunctis inimicis suis, quamque crudelis circa illos, qui terram ipsius invadere sive qui fidem et honorem filii sui in terra ipsa conantur impedire! Ecce quot et quantos reges ipsa exacerbavit Ecce quot perfidorum et paganorum principes ac seniores de terra delevit, quoties victoriam suis de inimicis concessit! Semper enim hactenus vexillum suum in Lyvonia et precundo et subsequendo defendit ac de inimicis triumphare fecit. Et quis unquam regum aut paganorum sive Danorum sive quarumcunque gencium contra Lyvoniam pugnavit et non interiit? Animadvertite et videte, principes Ruthenorum sive paganorum sive Danorum sive quarumcunque gencium seniores, ipsam tam mitem matrem misericordiet timete, ipsam Dei matrem odorate, ipsam tam crudelem vindicatricem de inimicis suis placatam vobis reddite, terram ipsius deinceps impugnare nolite, ut ipsa sit vobis mater, que fuit hactenus semper inimica suis inimicis et affligentes suos in Lyvonia magis ipsa semper afflixit. Attendite eciam et videte, qui tenetis dominium et advocacias in terra ipsius, ne pauperes nimium opprimatis, pauperes dico Lyvones et Lettos sive quoscunque neophytos, beate Virginis servos, qui nomen

Christi filii sui deportaverunt hactenus ad alias gentes et adhuc portabunt nobiscum. Crudelem quorundam mortem, qui subditis suis graves fuerunt, ante mentis oculos revocate, alta consideratione pertimescite. Non enim beata Virgo censu magno, quem dare solent neophyti, delectatur, non pecunia diversis exactionibus ipsis ablata placatur, neque iugum grave, sed quod sit portabile magis atque suave, vult eis imponi, cuius filius dicit: Iugum meum suave est et onus meum leve; qui simpliciter hoc exigit ab eis, ut credant in nomine eius et cognoscant eum cum patre Deum verum esse et unum et credentes vitam habeant in nomine eius, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

3. Convenerunt eciam eodem tempore cives Rigenses cum mercatoribus et cum Lyvonibus et Lettis apud Thoreidam, coniurantes et conspirantes tam contra regem Dacie, quam contra cunctos sibi adversantes. Et miserunt fratres milicie servos suos et ceperunt quosdam ex senioribus Lyvonum et in Sygewalde proiecerunt eos in vincula, unde dissipatum est consilium aliorum. Et remiserunt Rutheni rescriptum pacis de Plescekowe, que facta fuit aput Odempe, et sequebantur cum exercitu magno, et preerat exercitui rex Nogardie, qui statim anno sequenti a Tataris occisus est. Et erant in exercitu illo plus quam duodecim milia Ruthenorum, qui venerant tam de Nogardia, quam de aliis civitatibus Ruscie contra christianos, qui erant in Lyvonia. Et venerunt in terram Lettorum et sederunt expectantes Letones ebdomadis duabus, vastantes ea, que in vicino erant. Post hoc appropinquaverunt ad Wendam. Quibus occurrerunt fratres milicie cum Wendis suis ad portam, et non valentes resistere multitudini domos et villam incenderunt et declinaverunt ad castrum suum, Rutheni vero relinquentes castrum transierunt Coiwam et venerunt in Thoreidam et depredaverunt totam terram, incendentes villas omnes et ecclesias et annonam, que iam collecta erat in campis, et homines capientes et interficientes fecerunt mala multa in terra. Letones vero venientes eadem via prope Wendam sequebantur Ruthenos et transeuntes Coiwam venerunt ad eos et, que minus mala fecerunt Rutheni, Litowini suppleverunt. Et exivit de Riga magister fratrum milicie cum suis et Bodo miles cum quibusdam peregrinis, et alii pauci sequebantur propter discordiam, que fuerat in terra. Et abiit magister cum suis et cum aliis se sequentibus ad Coiwam et prohibebat litus Ruthenis, ne transirent in partes suas. Et transeuntes flumen quidam ex Lyvonibus turbam unam Letonum cum captivis et spoliis de Coiwemunde venientem persequebantur et occiderunt ex eis fere viginti, et alii evaserunt per fugam ad Ruthenos. Et aliam turbam Ruthenorum invenerunt in villa Cogelse, similiter ex eis septem interfecerunt, et alii fugientes ad suos redierunt, et alii in silvis latitantes evaserunt. Et dixerunt Rutheni: Non est bonum nos hic esse, quia Lyvones et Theuthonici circa nos undique congregantur. Et surgentes media nocte ceperunt exire de terra et sequenti nocte in Ykewalda manentes, provinciam in circuitu despoliantes incenderunt. Tertia quoque nocte apud Ymeram similia mala faciebant et festinantes in Ugauniam quatuor diebus terram illam similiter vastaverunt et redierunt in Rusciam. Letones vero non audentes separari a Ruthenis propter timorem Theuthonicorum, abierunt cum eis in Plescekowe et manserunt cum eis per totum mensem, ut postea securi redirent in terram suam

4. Fratres vero milicie cum aliis, qui secuti fuerant ad Ymeram, cogitantes occurrere Letonibus apud Dunam redierunt et ponentes eis insidias, cum familia episcopi de Kukenois expectaverunt eos tribus ebdomadis; sed fratres milicie tedio affecti redierunt in Rigam. Theodericus vero, miles de Kukenois, cum aliis militibus et servis episcopi cum paucis Lettis abierunt versus Plescekowe itinere, diebus septem querentes eosdem, et invenerunt tandem vestigia eorum et statim festinant ad eos. Et cum essent quindecim tantum ex Theuthonicis, Lettorum vero plures, ut essent per omnia uno minus quam nonaginta, paganorum vero

sexcenti, multitudinem eorum formidantes quidem, sed spem totam ponebant in Domino et audacter ad eos accedunt. Letones quoque videntes eos ad se venientes ordinant exercitum suum ex adverso et ducentos ex melioribus equitibus suis seorsim statuentes, ut ipsi persequantur Theuthonicos fugientes, ceteri omnes in magna turba veniunt obviam Theuthonicis. Et non poterant Theuthonici propter paucitatem suorum pugnare cum eis, sed pugnavit ille, qui quondam fecit, ut unus persequeretur mille et duo fugarent decem milia. In quo confidentes elevato vexillo appropinquant ad eos et committentes prelium ceciderunt primo tam ex illis quam ex istis et, cum esset via stricta propter silvam adiacentem, Theuthonici primo venerunt ad prelium, et Letti omnes subsequebantur clamantes, sicut edocti fuerant, lingua Theuthonicorum, ut caperent, raperent, interficerent, Quo clamore nimis territi Letones et putantes multos sequi Theuthonicos conversi sunt in fugam, et cecidit fortissimus eorum et ex aliis fere centum, et ceteri proiectis armis fugerunt per silvas. Et collegerunt Theuthonici omnia spolia eorum, et que secum ferre non poterant, igne combusserunt, et ex equis illorum comprehendentes circiter quadringentos secum deduxerunt, illum collaudantes, qui pro eis pugnavit. Ex Theuthonicis autem tres ibidem sunt interfecti, quorum anime cum Christo requiescant in pace. Amen. Letones, qui evaserant per silvas, cum esset iam tempore hyemali, pre difficultate transitus Dune aut submersi sunt in Duna aut se ipsos in silvis suspenderunt, ne redirent in terram suam, eo quod terram beate Virginis despoliaverant, cuius filius vindictam retribuit; cui sit laus per secula,

5. Mercatores quoque Rigenses ibant cum mercationibus suis in Rotaliam, et venerunt Dani et ceperunt eos, dicentes terram regis esse, et ligaverunt eos et deduxerunt eos secum in Revelis. Et misit episcopus Rigensis et magister milicie rogantes, ut remitterent eos; et noluerunt. Post hoc nunciatum est Danis, quod venirent Rigenses cum exercitu; et statim remiserunt eos. Et non iverunt Rigenses in Estoniam, sed cum Lyvonibus et Lettis iverunt in Ugauniam et convocantes ad se Saccalanenses et Ugaunenses abierunt in Rusciam ad inimicos suos, qui Lyvoniam spoliaverant. Et relinquentes post tergum Plescekowe regnum Nogardiense intraverunt et totam terram in circuitu despoliaverunt, incendentes domos et villas, et populum multum captivum duxerunt et alios interfecerunt. Et pervenerunt Letti ad ecclesiam, que fuerat non longe a civitate Nogardia, tollentes icones, campanas, thuribula et similia, et cum spoliis multis redierunt ad exercitum. Et facta vindicta de inimicis reversus eat universus exercitus gaudens sine lesione alicuius, unusquisque in domum suam, et cessavit opprobrium Ruthenorum adversus Lyvonensem ecclesiam. Letti quoque et Saccalanenses et Ugaunenses continue Rusciam intrantes, multos ibidem interfecerunt et multos promiscui sexus captivos duxerunt et spolia multa tulerunt. Similiter et Letti de Kukenois ac Theuthonici Rusciam intrantes omni tempore predam multam et captivos multos reduxerunt.

Erant eodem tempore fratres milicie cum servis suis in omnibus castris tam Ugaunie quam Saccale, procurantes advocacias et congregantes tributa et episcopo suam partem conservantes. Et edificaverunt castra omnia et firmissime muniverunt et cisternas infra fodientes armis et balistis repleverunt et propter timorem Ruthenorum Estones in castra compellentes simul cum eis commanserunt.

6. Ugaunenses autem circa mediam hyemem cum exercitu ibant in profunditate magna nivis et pretereuntes Vironiam et transeuntes Narvam terram vicinam spoliaverunt et captivos et spolia retulerunt. Quibus revertentibus Saccalanenses abierunt eadem via et transeuntes Narvam processerunt via remotissima in terram, que Ingaria vocatur, que est de regno Nogardie. Et invenerunt terram illam repletam hominibus et nullis rumoribus premunitam et percusserunt

Ingaros illos plaga magna nimis, interficientes viros et populum multum et plures promiscui sexus capientes et oves et boves et pecora multa mactaverunt, que secum abducere non potuerunt, et reversi sunt cum preda magna, et repleta est Estonia et Lyvonia de captivis Ruthenorum, et pro malis omnibus, que Rutheni Lyvonibus intulerunt, iam duplicia vel triplicia eodem anno receperunt.

XXVI

1. Bisdecimus quartus iam presulis affuit annus, Et nondum terra tranquilla pace quievit

Eodem anno fuerunt Tatari in terra Valvorum paganorum, qui Parthi a quibusdam dicuntur, qui panem non comedunt, sed carnibus crudis pecorum suorum vescuntur. Et pugnaverunt Tatari cum eis et debellaverunt eos et percusserunt omnes in ore gladii, et alii fugerunt ad Ruthenos, petentes auxilium ab eis. Et pervenit verbum per universam Rusciam, ut pugnarent cum Tataris, et exiverunt reges de tota Ruscia contra Tataros et non valuerunt pugnare cum eis et fugerunt coram eis. Et cecidit rex magnus Misteslawe de Kywa cum quadraginta milibus virorum, qui astabant ei. Sed et alter, rex Galacie, Misteslawe, per fugam evasit. Et de regibus aliis ceciderunt in eodem bello circiter quinquaginta. Et persecuti sunt eos sex diebus et interfecerunt ex eis plures quam centum milia virorum, quorum numerum Deus solus novit, et ceteri fugerunt. Et misit rex de Smalenceka et rex de Plosceke et quidam alii reges de Ruscia nuncios suos in Rigam, petentes ea que pacis sunt. Et renovata est pax per omnia, que iam dudum ante facta fuerat.

2. Rex quoque Dacie collecto exercitu magno cum comite Alberto venit in Osiliam et cepit edificare castrum lapideum. Et exiverunt Dani ad pugnandum contra Osilianos et non valuerunt soli; sed venit eis in auxilium comes Albertus cum suis et convertit Osilianos in fugam, et interfecerunt plures ex eis et ceteri fugerunt. Venit quoque venerabilis Rigensis episcopus cum magistro milicie et fratribus suis et cum Lyvonibus quibusdam et cum aliis, qui missi fuerant a Lyvonia, ad regem Dacie in Osiliam. Et gavisus est rex de adventu eorum. Et locutus est eis super donatione illa, qua donata fuit ei Lyvonia; et non consenserunt ei, sed contradixerunt omnes unanimiter, prout edocti fuerant a cunctis habitantibus in Lyvonia, et supplicabant ei, ut a tali inquietatione Lyvonie cessaret et terram beate Virginis liberam relinqueret. Unde habito consilio prudentum suorum tandem episcopo Lyvoniam et omnia Lyvonie attinentia cum. omni libertate restituit. In Saccala vero et Ugaunia regalia iura fratribus milicie, sed episcopo Rigensi spiritualia cuncta dimisit, adiciens, ut sibi perpetuam fidelitatem prestarent et suis tam contra Ruthenos quam contra paganos auxilium suum non denegarent. Et promiserunt tam sibi quam suis fidele semper auxilium; unde et Theodericum, fratrem episcopi, cum quibusdam fratribus milicie ad regis petitionem ibidem in castro novo reliquerunt et reversi sunt in Lyvoniam. Rex vero consummato cum festinatione muro castri et locatis viris in eo reversus est in Daciam.

3. Osiliani vero de omnibus villis ac provinciis convenientes castrum ipsum obsederunt et miserunt ad Estones Maritimos, ut venirent eis in auxilium. Et quidam ex eis abierunt in Warbolam, considerantes artem patherelli sive machine, quam Dani Warbolensibus, tamquam subditis suis, donaverant. Et reversi in Osiliam ceperunt edificare patherellos et machinas et docebant alios. Et fecerunt unusquisque ex eis suas machinas. Et venerunt simul omnes cum decem et septem patherellis, iactantes lapides multos et magnos diebus quinque continue, et non dabant requiem illis, qui erant in castro, quia domos et edificia non habebant et non erat

eis locus neque refugium in castro nondum edificato, et multi lesi sunt ex eis. Sed ex Osilianis multi a balistariis vulnerati ceciderunt, ipsi tamen ideo ab impugnatione castri non cessaverunt. Post multorum itaque dierum pugnam dixerunt Osiliani ad eos, qui erant in castro: "Cum sciatis vos in castro isto contra impugnationem nostram continuam omnino salvari non posse, suademus vobis et rogamus, quatenus facta pace nobiscum sani et incolumes omnes exeatis et nobis castrum et terram nostram relinquatis." Illi autem sub divo pugnantes domibusque et omnibus indigentiis carentes formam istam pacis receperunt et exeuntes de castro resque suas secum ad naves deducentes castrum et terram Osilianis reliquerunt. Osiliani quoque septem ex Danis et Theodericum, fratrem episcopi Rigensis, obsides ibidem pro pacis confirmatione retinuerunt; reliqui omnes ad Danos. in Reveles redierunt.

4. Tunc Osiliani destruxerunt castrum in circuitu, non relinquentes lapidem super lapidem, et miserunt verbum istud per universam Estoniam, quod castrum regis Danorum expugnaverunt et christianos de finibus suis eiecerunt. Et confortaverunt Estones in omnibus provinciis, ut iugum Danorum a se reicerent et nomen christianum de terra delerent, dicentes facile castrum Danorum expugnari, et docebant eos machinas et patherellos erigere et cetera instrumenta bellica. Et orta sunt mala in terra.

5. Postquam igitur Osilienses cum Harionensibus conspirationum suarum machinationes pessimas contra Danos et contra nomen christianum compleverunt, congregaverunt se simul omnes cum Maritimis eciam Estonibus in castro Warbolensi et interfecerunt quosdam ex Danis et sacerdotibus suis, qui habitaverunt cum eis, et miserunt nuncios in Vironiam, ut ipsi similia facerent. Vironenses vero cum Gerwanensibus, cum ipsi sint homines simplices et humiliores aliis Estonibus, non presumentes talia committere conduxerunt sacerdotes suos et remiserunt eos sanos in castrum Danorum.

Saccalanenses vero, qui simul habitabant cum fratribus milicie in castro Viliende, dolosas cordium suorum cogitationes contra eosdem fratres iam amplius dissimulare non valentes currebant omnes cum gladiis et lanceis et clypeis suis, et comprehendentes quosdam ex fratribus et servos eorum et mercatores Theuthonicos, et interfecerunt eos. Et cum esset dominica, in qua legitur ewangelium: Ascendente Iesu in naviculam, ecce motus magnus factus est in mari, Theoderico sacerdote missarum solempnia celebrante ceterisque fratribus in ecclesia coram astantibus, revera motus magnus factus est atque turbatio. Nam occisis fratribus et servis et Theuthonicis omnibus, qui foris erant in castro, congregantur ad ecclesiam, non orationem, sed sanguinem fundere querentes, non missarum sacramenta desiderantes, sed requiem Iesu Christi disturbare cupientes, scilicet Cain iniquitatem secum deferentes. Ostium itaque ecclesie preoccupant et circumdant, fratres inermes armis suis circumveniunt et, ut facilius eos evocent, datis in dolo manibus pacem eis promittunt. Exiit ad eos primus Mauritius, qui fuerat advocatus eorum, nimium credulus infidelibus, in quem statim irruentes interficiunt eum. Unde ceteri rebus certis territi ad defendendum se preparant, sed facta mora diutina tandemque pace iurata sigillatim ad eos exeunt. Quos perfidi comprehendentes statim in compedes et in vincula deponunt et omnem substantiam eorum et pecunias et equos diripientes inter se dividunt. Et corpora interfectorum canibus corrodenda per campos proiciunt, ponentes, sicut scriptum est, morticinia servorum tuorum escas volatilibus celi, carnes sanctorum tuorum bestiis terre, fundentes sanguinem ipsorum tamquam aquam, et non erat, qui sepeliret. Quidam eciam ex eis abierunt ad aliud castrum, quod erat ad Palam, et ibi similia facere precipiebant et in via sacerdotem suum cum aliis interficiebant.

6. Post hoc iidem Saccalanenses abierunt in Gerwam et comprehendentes ibi Hebbum, qui erat advocatus eorum, et cum ceteris Danis reduxerunt eum in castrum suum et crudeli martyrio cruciaverunt eum et alios, dilacerantes viscera eorum et extrahentes cor Hebbi adhuc vivum de ventre suo et assantes ad ignem et dividentes inter se, comederunt illud, ut fortes contra christianos efficerentur, et corpora eorum canibus et volatilibus celi rodenda dederunt.

7. Completo opere tam nefando seniores de Viliende miserunt. eodem die in Odempe, suadentes eis, ut et ipsi similia facerent. Et Tharbatensibus gladios sanguinolentos, quibus Theuthonicos interfecerant, et equos et vestes eorum pro signo miserunt. Et illi gaudentes omnes verbum istud acceperunt et irruentes in fratres milicie vinculaverunt eos et Iohannem, qui fuerat advocatus eorum, interfecerunt et servos eorum omnes et ex mercatoribus quam plures percusserunt gladio, et ceteri latitantes evaserunt, quos postmodum in vincula proiecerunt. Et omnia bona fratrum milicie et aliorum Theuthonicorum et mercatorum rapientes inter se diviserunt et corpora occisorum per campos inhumata reliquerunt, quorum anime cum Christo requiescant in pace. Erat eodem tempore in Tharbata cum fratribus milicie confrater eorum, sacerdos Hartwicus, quem locaverunt super bovem pinguissimum, eo quod ipse eque pinguis fuerit. Et educentes de castro deorum suorum voluntatem sorte requirebant, quem eorum, videlicet sacerdotem an bovem, ad victimam eligerent. Et cecidit sors super bovem, et immolatus est in momento; sacerdotem vero secundum deorum voluntatem vite reservaverunt, recepto tamen vulnere magno, quod postea sanatum est.

8. Tune exivit verbum per totam Estoniam et Osiliam, ut pugnarent contra Danos et Theuthonicos. Et eiecerunt nomen christianum de omnibus finibus suis, Ruthenos vero tam de Nogardia quam de Plescekowe sibi vocaverunt in auxilium, firmantes pacem cum eis et locantes quosdam ex eis in Tharbata, quosdam in Viliende et alios in aliis castris, contra Theuthonicos et Latinos et omnes christianos pugnaturos, dividentes cum eis equos et pecunias et omnem substantiam fratrum milicie nec non et mercatorum et omnia que rapuerant. Et muniverunt castra sua firmissime et edificaverunt patherellos in omnibus castris, docentes ad invicem artem balistariam, dividentes balistas fratrum milicie quam plurimas inter se, quas rapuerant. Et receperunt uxores suas, tempore christianitatis dimissas, et corpora mortuorum suorum, in cemeteriis sepulta, de sepulchris effoderunt et more paganorum pristino cremaverunt et se et domos suas et castra lavantes aquis et scopis purgantes, taliter baptismi sacramenta de finibus suis omnino delere conabantur.

9. Et miserunt Saccalanenses nuncios in Rigam, dicentes pacis quidem se reformationem diligere, sed numquam se deinceps fidem christianam, donec puer unius anni vel cubiti remaneret in terra, recepturos. Et requirebant pueros suos obsides, promittentes se fratres milicie, quos habebant in vinculis adhuc vivos, pro singulis obsidibus singulos fratres et mercatores restituere, quod et factum est.

10. Fuerat codem tempore mercator christianus in domo Estonis in Saccala, et cum omnes Theuthonici interficiuntur, qui erant in terra, irruit eciam idem Esto super eundem hospitem suum et interfecit eum. Quo facto peperit uxor occisoris filium, et habebat idem puer in corpore suo vulnera recentia in omnibus locis, in quibus pater vulneraverat innocentem, et similia per omnia vulneribus interfecti, que tamen postea sanata fuerunt, et apparent cicatrices ad hunc diem. Et multi videntes admirabantur, testimonium perhibentes et vindictam Dei probantes; nam et idem occisor ab exercitu christianorum statim interfectus est.

11. Tune innovata sunt bella in omnibus finibus Estonie. Nam Osiliani et Maritimi et Warbolenses simul cum Gerwanensibus et Vironensibus obsidione longa Danos in Revele obsederunt, donec Dominus eos liberavit. Nam fatigati nimis in castro diuque Theuthonici cum Danis exiverunt ad eos, inferentes eis bellum, et convertit Deus Estones in fugam, et ceciderunt ex eis multi, interfecti a christianis, et ceteri fugerunt, Et tulerunt christiani boves et equos eorum et spolia multa, laudantes Dominum, qui de tantis malis et hac vice eos liberavit.

12. Videntes eciam Letti omnia mala, que cogitabant Estones adversus Lyvoniam, ceperunt [et] ipsi statim movere bella cum Estonibus. Et ibat Rameko cum suis et Warigerbe cum aliis Lettis in Ugauniam, et despoliantes villas et captivantes homines et interficientes spolia multa tulerunt. Et illis redeuntibus alii iterum abierunt et similia mala fecerunt. Similiter Estones Lettos persequentes in Lettiam venerunt et similia mala commiserunt.

13. Post hoc eciam fratres milicie abierunt in Ugauniam et villas quasdam depredantes et incendentes Estonibus similia mala intulerunt. Et redeuntes in Rigam rogaverunt viros episcopi simul et omnes Theuthonicos, ut eis auxilium contra ferocitatem Estonum preberent. At illi omnes uno ore simul: “Si volueritis”, inquiunt, ecclesie beate Marie et episcopo Rigensi suam terciam partem in Estonia relinquere et episcopo Hermanno suam terciam liberam restituere et vos tercia parte vestra contenti esse, libenter vobis auxilium prestabimus. Et promiserunt deinceps episcopis suas integras partes dimittere. Unde statim surrexerunt omnes viri ecclesie et convocaverunt de Lyvonibus suis et Lettis exercitum cum Rigensibus et fratribus milicie et perrexerunt in Saccalam et mane facto apparuerunt iuxta castrum Viliende, et exiverunt Estones, et pugnaverunt cum eis usque ad horam terciam et diverterunt ab eis, dividentes exercitum ad omnes villas, et spoliaverunt terram, captivantes et interficientes quos invenerunt, et convenerunt cum omni exercitu ad castrum, quod est ad Palam, et triduo bellabant cum eis, et alii transierunt Palam, spoliantes et incendentes totam Nurmegunde, et interfecerunt ibi quam plurimos et venientes ad suos cum omni exercitu reversi sunt in Lyvoniam; et viros omnes, quos captivos duxerant, capite truncaverunt, ut fieret vindicta de prevaricatoribus et infidelibus illis nationibus, et spolia dividentes collaudabant eum, qui semper est benedictus.

XXVII

1. Annus erat pontificis vicesimus quintus Et nondum requievit ecclesia a bellis.

Nam redeunte episcopo Bernardo, qui primus erat Semigallorum episcopus, cum peregrinis multis de Theuthonia collegerunt Saccalanenses et Ugaunenses cum adiacentibus provinciis exercitum magnum et venientes ad Ymeram terram Lettorum despoliaverunt et multos ex Lettis interfecerunt et mulieres captivas duxerunt et dividentes exercitum suum per omnem provinciam terram plaga magna percusserunt. Nam alii in Tricatuam et alii in Rosulam, alii in Metsepole, alii in Thoreidam abierunt, et invenerunt viros et mulieres quam plures in omnibus villis et interfecerunt multos ex eis et alios captivos duxerunt et spolia multa tollentes villas omnes et ecclesias ignibus tradiderunt et post hoc in Lettegore collectionem exercitus sui cum omni rapina sua deposuerunt. Sequebatur autem Rameko post tergum Estonum cum aliis Lettis paucis apud Urele et casu venit ad Waremarum, qui fuerat princeps Buthenorum in Viliende, et occidit eum cum multis aliis Ruthenis et Estonibus. Et tollentes arma et spolia multa reversi sunt in Wenden. Et innotuit sermo in Riga de omnibus malis, Lyvonibus et Lettis illatis, et fleverunt et doluerunt omnes de confratribus suis occisis. Et nullam moram facientes, sed statim

panes et sacculos et pannas suas proicientes, tam equites quam pedites, fratres milicie cum peregrinis et cum mercatoribus et Lyvonibus abierunt in Thoreidam. Et mittentes exploratores invenerunt hostes a Ledegore iam divertisse et secuti sunt eos nocte ac die. Unde labore nimio fessi, pedites omnes et alii quam plures reversi sunt in Rigam. Sed qui erant constantes corde ad faciendam vindictam contra nationes et ad ponendum se murum pro domo Domini, non abierunt retrorsum. Inter quos erat Johannes, ecclesie beate Marie prepositus, Daniel sacerdos, Volquinus fratrum milicie magister, qui et ceteros confortabant, animando et monendo eos, ut se fideles et fortes ad preliandum prelia Domini contra apostatas illos et audaces exhiberent. Et venerunt ad eos fratres milicie de Sygewalde et de Wenden et Lyvonum et Lettorum magna multitudo, et sequebantur post hostes via, que est ad Coiwam. Hostes vero via alia, que ducit ad ecclesiam vicinam de Ymera, abierant, et in ecclesia nocte locantes equos suos et alias nequicias suas ibidem exercentes, fruges et domos et omnia, que erant sacerdotis, vastantes et incendentes mane facto processerunt ad Ymeram. Et factum est, cum iam aliqua pars exercitus pontem Ymere transisset, repente christiani via alia a collaterali parte venerunt et irruerunt per medium exercitum. hostium, inferentes eis bellum, et occurrerunt eis Estones fortissime. Sed exterrebat eos, qui quondam exterruit Philisteos, ut fugerent coram David. Et commiserunt Theuthonici bellum cum eis, et terga verterunt Estones, fugientes coram christianis; et persequebantur eos, ventilantes et convertentes eos per viam, qua veniebant, et interfecerunt quam plures ex eis; alii alios ad pontem insequebantur et per viam illam alios interficientes, pugnaverunt cum eis ad pontem, ubi Theodericus frater milicie, vir fortis et devotus, lancea vulneratus cecidit, et ceteri pontem transeuntes accesserunt ad eos. Sed ipsi dimissis spoliis omnibus et equis suis, et captivis quibusdam interfectis pedes fugerunt ad silvas, et interfecti sunt ex els sexcenti et plures, et alii in silvis interierunt, et alii in Coiwa submersi sunt, et alii cum pudore reversi sunt in terram suam, ut verbum domi nunciarent, Christiani vero, tam Theuthonici quam Lyvones et Letti, tollentes spolia eorum et equos et boves equaliter inter se diviserunt et captivos confratres suos, tam viros quam mulieres, libertati pristine restituerunt, benedicentes et collaudantes eum, qui non solum hac vice, verum omni tempore pro eis pugnavit in Lyvonia et gloriosam victoriam de gentibus apostatantibus semper concessit.

2. Postquam Estones, a fide Iesu Christi recidivantes, ad Ymeram sunt percussi, misit episcopus Bernardus per universam Lyvoniam et Lettiam, convocans omnes, tam viros ecclesie quam fratres milicie cum Lyvonibus et Lettis, ut veniant omnes pugnaturi cum Estonibus. At illi fideliter omnes obediunt, simul in unum conveniunt. Adsunt peregrini cum mercatoribus. Alii navigio in Coiwa, alii pedites, alii cum equis suis procedunt, ad locum orationis et colloquiorum cum octo milibus perveniunt. Celebratis orationum et colloquiorum solempniis in Estoniam festinant, castrum Viliende, quod ante decem annos a Theuthonicis fuerat expugnatum et fidei christiane subiugatum, iterum secundo iam impugnant, machinas minores et patherellos edificant, turrim ligneam fortissimam et altam erigunt, quam ad fossatum usque propellunt, ut castrum desubtus fodere valeant; sed impediuntur quam plurimum a balistariis eorum, qui erant in castro, nam balistas fratrum milicie quam plures habebant in castro contra balistas christianorum et patherellos et machinas edificaverunt contra machinas christianorum, pugnantes ad invicem diebus multis. Nam in Augusto ad vincula Petri facta est obsidio castri, et in assumptione beate Virginis deficientes se tradiderunt. Cum enim esset calor nimius et multitudo hominum et pecorum fuisset in castro et iam fame et siti deficerent, facta est pestilencia magna pre fetore nimio interfectorum in castro, et ceperunt homines egrotare et mori. et non valentes se defendere, ceteri, qui adhuc remanserant vivi, tradiderunt se et omnia sua in manus christianorum, presertim cum. viderent castrum a christianis iam alia vice

incensum et summo labore se et castrum defendisse. Et ideo facta pace cum christianis exiverunt de castro, recipientes iterum iugum discipline christiane, et promiserunt se numquam deinceps fidei sacramenta apostatando violare et de commissis satisfactionem rependere, et pepercerunt eis fratres milicie et Theuthonici omnes, licet tam vitam quam bona cuncta perdiderint.

Ruthenos vero, qui fuerant in castro, qui venerunt in auxilium apostatis, post expugnationem castri suspendit exercitus omnes ante castrum, ad terrorem aliorum Ruthenorum. Et reformata pace per omnia christiani ad castrum se receperunt et omnia, que in castro fuerant, tollentes et equos et pecora expellentes, equaliter inter se diviserunt et homines in villas suas abire permiserunt divisisque spoliis ad aliud castrum, quod est ad Palam, processerunt, bellum similiter eis inferentes. At illi timentes expugnationem castri sui et pestilencias et mortes, quales in priori castro fuerant, et similia mala, tradiderunt se quantocius in manus christianorum, de vita sola et libertate supplicantes et bona sua cuncta in manus exercitus dimittentes. Et concesserunt eis christiani vitam et libertatem et miserunt ens in villas suas, tollentes spolia multa et cuncta et equos et oves et boves et omnia, que in castro fuerunt. Et de duorum castrorum requisitione et de perverse gentis illius iterum subiugatione Deum collaudantes, cum gaudio magno reversi sunt in Lyvoniam.

3. Missi quoque fuerant seniores Saccalanenses in Rusciam cum pecunia et muneribus multis, si forte reges Ruthenorum sibi in auxilium contra Theuthonicos et Latinos omnes possent evocare. Et misit rex de Susdalia fratrem suum et exercitum multum cum eo in auxilium Nogardensium, et sequebantur cum Nogardenses et rex de Plescekowe cum civibus suis, et erat exercitus circiter viginti milia. Et venerunt in Ugauniam prope Tarbatam, et miserunt eis Tarbatenses munera magna et fratres milicie et Theuthonicos, quos habebant apud se captivos, tradiderunt in manus regis et equos et balistas et alia multa, petentes auxilium contra Latinos. Et locavit rex viros suos in castro, ut haberet dominium in Ugaunia et per totam Estoniam. Et abiit rex in Odempe et similiter ibi faciebat. Et post hoc convertit exercitum suum versus Lyvoniam in Puydise, et sequebantur eum Ugaunenses, et maior erat exercitus. Et occurrerunt ei ibidem Osiliani, rogantes, quatenus exercitum suum convertat contra Danos in Reveles, ut victis Danis facilius Lyvonenses invadant, dicentes in Riga multos esse peregrinos, qui sibi sint occurrere parati. Et audivit eos rex et reversus est alia via cum exercitu in Saccalam et invenit totam Saccalam iam a Theuthonicis subiugatam et duo castra expugnata et Ruthenos suos apud Viliende suspensos, iratus est valde et iram suam vindicans in Saccalanenses, terram ipsam percussit plaga magna et omnes, qui evaserant coram Theuthonicis et a pestilencia magna, que fuit in terra, ipse interfici decrevit, et alii per fugam in silvas evaserunt. Et procedens in Gerwam cum exercitu suo magno, convocavit ad se Gerwanenses et Vyronenses et Warbolenses cum Osilianis. Et cum omnibus illis obsedit castrum Danorum Lyndanise et pugnavit eum Danis ebdomadis quatuor et non potuit capere cos neque castrum eorum, eo quod balistarii multi fuerint in castro et multos Ruthenorum et Estonum interficerent. Unde tandem confusus rex Susdalie cum omni exercitu suo reversus est in Rusciam. Fuerat autem exercitus ille magnus valde et fortis et temptabant secundum artem Theuthonicorum castrum capere Danorum et non valebant. Sed destructa et despoliata provincia in circuitu tandem redierunt in terram suam.

4. Interim fratres milicie et alii Theuthonici cum paucis obsederant castrum Tarbatense et pugnabant cum eis diebus quinque. Et non valentes castrum tam forte cum paucis expugnare, terram in circuitu despoliabant et cum omni rapina sua reversi sunt in Lyvoniam.

Iterumque fratres milicie colligentes exercitum intraverunt Estoniam, percusserunt Gerwanenses plaga magna, eo quod cum Danis semper bella moverent, et interfecerunt et ceperunt multos ex eis et spolia multa tollebant. Et venerunt ad eos Gerwanenses in Keytis, promittentes Theuthonicis fidelitatem perpetuam et omnibus christianis, unde statim exiverunt de finibus eorum et cum omni preda redierunt in terram suam.

5. Post hoc Nogardenses miserunt regem Viesceka, qui quondam viros episcopi Rigensis mortificaverat in Kukenoys, et dederunt ei pecuniam et viros ducentos secum, committentes ei dominium in Tarbeta et in aliis provinciis, quas sibi posset subiugare. Et venit idem rex cum viris suis in Tarbetam, et receperunt eum castrenses cum gaudio, ut forciores contra Theuthonicos efficerentur, et dederunt ei tributa de circumiacentibus provinciis, et quicunque tributa non prebebant, exercitum contra eos direxit et devastavit omnes terras sibi rebelles a Wayga usque ad Vyroniam, a Vyronia usque in Gerwam et in Saccalam, et fecit contra christianos omnia mala, que potuit.

6. Celebrata Dominice nativitatis solempnitate cogitaverunt Rigenses obsidere castrum Tharbatense. Et convenerunt cum fratribus milicie et peregrinis et cum Lyvonibus et Lettis apud Astigerwe, et habebant exercitum magnum. Et recordati sunt Danorum in longa tribulatione existentium, contra quos pugnabant lam dudum omnes terre et gentes circumiacentes, et dimisso itinere in Tarbeten profecti sunt cum omni exercitu in Hariam et obsederunt castrum Lone pugnantes cum eis ebdomadis duabus, edificantes machinas et patherellos et turrim ligneam fortissimam, quam ad castrum vicinius appellebant, ut desubtus castrum fodere et de summitate eos magis impugnare valerent. Et audientes Dani gavisi sunt et veniebant ad eos gratias referentes, eo quod miserti eorum venerint eis in auxilium. Post hoc autem multi sunt a balistariis interfecti et a machinariis proiecti, et ceteri ceperunt graviter egrotare et mori. Insuper et fossores iam ad summitatem munitionis appropinquabant, ut putarent castrenses se lam ad ima una cum fossato descendere. Unde tandem supplicabant exercitui, quatenus eis vitam et libertatem donarent. Et concesserunt eis vitam et castrum incenderunt, omnes vero equos et hoves, et pecora et substantiam, et pecuniam et vestes et omnia, que fuerunt in castro, tollebant sibi Theuthonici, dividentes cum Lyvonibus et Lettis equaliter; Danis vero homines restituerunt et in villas suas liberos miserunt. Interim Theuthonici miserunt aliquos de exercitu suo ad alia tria castra minora circumadiacentia, comminantes eis bellum, nisi tradant se in manus corum. Et tradiderunt se tria illa castra adiacentia in manus. Eigensium, mittentes eis tributa et waypas quam plures in eadem expeditione, Et reversus est exercitus Rigensium in Gerwam, et abierunt quidam ad spoliandum provinciam. Et occurrerunt Gerwanenses et Vironenses, supplicantes de pace, promittentes deinceps se sacramenta fidei christiane non violare. Et reformaverunt cum eis pacem et receperunt eos ad gratiam, sumentes obsides ab eis, quos tamen Dani disturbabant postea, plurimum inferentes eis bellum, eo quod pacem a Rigensibus et christianitatis iugum receperant. Et reversus est exercitus Rigensis cum gaudio in Lyvoniam, collaudans Iesum Christum, qui semper eos sanos et incolumes deducit et reducit in omnibus expeditionibus suis. Nuncii interim regum Ruthenorum erant in Riga, rerum eventum expectantes et ammirantes quam plurimum, eo quod Rigenses sine victoria numquam reversi sunt inanes, eo quod sagitta Ionathe numquam abiit retrorsum nec declinavit clypeus eius in bello et gladius Saul non est reveraus inania, cum exercitus magni et fortes regum Ruthenorum numquam unum castrum valeant expugnationibus suis fidei christiane subiugare.

XXVIII

1. Annus erat consecrationis antistitis Alberti vicesimus sextus et nondum ecclesia siluit a bellis.

Nam rex Viesceke disturbabat cum Tarbatensibus omnem terram in circuitu, et ibant Letti et Lyvones sepius ad eos cum paucis et non valebant eis nocere. Sed et fratres milicie post pascha colligentes iterum exercitum obsederunt Tarhetam et pugnaverunt diebus quinque cum eis et non potuerunt pre paucitate suorum castrum comprehendere, et spoliantes terram in circuitu cum spoliis suis reversi sunt in Lyvoniam.

Interim episcopus venerabilis Albertus rediit de Theuthonia cum peregrinis multis et universo comitatu suo. Et venit cum co frater ipsius, non minus venerabilis Hermannus episcopus, lam dudum electus et consecratus episcopus in Estoniam, qui fuerat a rege Dacie ab episcopatu suo iam pluribus annis impeditus. Sed postquam rex Dacie in captivitatem deductus est in Saxoniam a Theuthonicis, abiit episcopus predictus Eigensis cum eodem fratre suo ad regem, requirere voluntatem et consensum ipsius. Et placuit regi, ut iret in Lyvoniam et de Lyvonia ad Estoniam in episcopatum ipsius. Qui cum venissent in Rigam, cum gaudio magno recepti sunt a Rigensibus et ab universis, qui fuerunt in Lyvonia, et congaudebant omnes et collaudabant Deum, eo quod post mala plurima et bella tristia iterum expugnata est et requisita fere tota Estonia, preter unum castrum Tarbatense, de quo remanebat ultio divina.

2. Et convenerunt fratres milicie cum episcopis eisdem et viris ecclesie et cum Rigensibus cunctis super divisione provinciarum Estonie ad Rigam pertinentium. Et dederunt episcopo Hermanno Ugauniam cum provinciis suis, fratres vero milicie Saccalam in sorte pro sua parte receperunt; et ecclesie beate Marie in Riga et episcopo Rigensi Maritimam cum septem kilegundis attribuerunt. Et audientes Maritimi, quod ad ecclesiam Rigensem pertinerent, gavisi sunt valde et tributa duorum annorum, que propter Danorum impugnationem neglexerant, integraliter solvebant. Ugaunenses quoque similiter de dominio episcopi Hermanni gaudebant, qui erat in Odempe, sed impediebat eos rex Viesceka cum Tarbatensibus suis, qui erat in laqueum et in diabolum magnum Saccalanensibus et aliis Estonibus adiacentibus.

3. Et miserunt episcopi nuncios ad regem in Tarbetam, rogantes, ut recederet a rebellibus illis, qui erant in castro, qui baptismi sui sacramenta violaverant, qui fidem Iesu Christi reiciendo ad paganismum redierant, qui fratres milicie, confratres et dominos suos, alios interficiendo, alios captivando, de terminis suis expulerant, qui vicinas omnes provincias ad fidem Iesu Christi venientes despoliando cottidie vastaverant. Et nolebat rex ab eis recedere, co quod Nogardenses et reges Ruthenorum sibi castrum ipsum cum adiacentibus terris perpetua donatione donaverint et liberationem a Theuthonicorum impugnatione promiserint. Et collecti fuerant in codem castro cum rege eodem omnes malefici de provinciis vicinis [et] de Saccala, qui fuerant traditores et interfectores fratrum suorum, fratrum milicie et mercatorum, et malorum consiliorum inventores contra Lyvonensem ecclesiam, Quorum princeps ac dominus idem rex erat, quia et ipse radix antiqua malorum omnium in Lyvonia fuerat, qui pacem veri pacifici infringendo ac omnium christianorum fideles sibi viros, contra Letonum impugnationem a Rigensibus in auxilium missos, interfecit in dolo, diripiens omnia bona corum. Hii ergo omnes fiduciam habentes in castro suo supradicto firmissimo contempnebant pacem christianorum et querebant mala cottidie christianis. Nam revera castrum ipsum firmius erat omnibus castris Estonie, quod fratres milicie multis laboribus et expensis antea firmaverant et armis suis et balistis repleverant, que omnia perfidi rapuerant. Insuper et rex ibidem sagittarios suos

Ruthenos secum habebat quam plures, Insuper et patherellos secundum artem Osilianorum et cetera instrumenta bellica preparabant.

4. Erat itaque tunc Estiensis ecclesia multia bellorum incommodia exposita. Que fuit tamquam mulier pariens, que tristiciam et dolorem magnum habet, donec pariat; cuius eciam portum draco persequitur, Behemoth videlicet ille, qui fluvium absorbens fiduciam adhuc habet, quod Iordanis influat in os eius. De tantis igitur bellorum angustiis nullo modo poterat ecclesia predicta liberari, que parvula fuit adhuc et infirma, nisi per Lyvonensem ecclesiam, que vera et prima semper matert ipsius fuerat per labores expugnationis, et que genuerat eam. per lavacrum regenerationis in fide lesu Christi, licet plures sibi matres falso filiam hanc usurpantes, mentientes semper, attraxerint, quarum una mater Ruthenica sterilis semper et infecunda, que non spe regenerationis in fide Iesu Christi, sed spe tributorum et spoliorum terras sibi subiugare conatur.

5. Ut ergo Lyvonensis ecclesia filiam suam Estiensem ecclesiam, quam genuerat lesu Christo, liberaret de presentibus malis, misit episcopus venerabilis Rigensis et convocavit fratres milicie nec non et viros ecclesie cum peregrinis et mercatoribus et civibus Rigensibus et universis Lyvonibus et Lettis, indicens expeditionem cunctis ad Lyvonensem ecclesiam pertinentibus. Et fideliter obedientes omnes convenerunt cum exercitu suo apud stagnum Bastigerwe convocantes secum episcopum venerabilem predictum Rigensem cum fratre suo, non minus venerabili Hermanno episcopo, et cum universis viris sacerdotibus ac militibus suis. Peractisque colloquiorum et orationum ibidem mysteriis premittunt meliores et forciores de exercitu, ut transeuntes Ugauniam nocte et die sequenti mane valeant castrum Tarbatense preoccupare, Qui dividentes iterum acies suas, alios ad impugnandum castrum preordinant et alios in Vironiam ad despoliandum adhuc rebelles dirigunt, qui post triduum oves et boves et cetera, que fuerunt exercitui necessaria, reducunt abundanter. Episcopi vero cum peregrinis et omni multitudine sequentes in die assumptionis beate Virginis ad castrum perveniunt. Eodem quippe die anno preterito castrum Viliende captum est. Campos igitur tentoriis operiunt, castrensibus bellum inferunt, machinas minores et patherellos construunt, instrumenta bellica quam plurima preparant, propugnaculum sive turrim ligneam fortissimam erigunt, quam de magnis et altissimis arboribus octo diebus artificiose eque altam castro preparaverant, viciniusque super fossatum appellunt et statim desubtus terram fodere incipiunt. Ordinatur ad fodiendum noctem et diem medietas exercitus, ut alii fodiant, alii terram dilapsam exportent. Unde mane facto fossati magna pars de vallo dilabitur et mox propugnaculum vicinius ad castrum apponunt. Mittuntur interim internuncii ad regem, sacerdotes et milites, viri honesti, promittitur el via libera, ut exeat cum viris et equis et omnibus rebus suis, si tantum recedat de castro et gentem illam apostatricem derelinquat. Sed rex a Nogardensibus liberationem expectans, nullatenus se castrum derelinquere pertinaciter affirmat. Veniunt interim Rutheni spoliantes in provincia, deferuntur rumores in tentoria, statimque Theuthonici parati venientes, eis occurrere volentes, campos petunt aliosque in obsidione castri derelinquunt. Non venientibus Ruthenis iterum ad castri revertuntur impugnationem, balistarum sagittis multos in summitate munitionis vulnerant et alios iactibus machinarum interficiunt, patherellis ferrum ignitum vel ollas igneas in castrum proiciunt, terrores multos castrensibus incutiunt, eo quod alii instrumenta, que ericios et porcos vocant, preparant, alii lignorum strues comportant, alii ignes apponunt, pugnantes in hunc modum diebus plurimis. Similiter et qui in castro erant, machinas et patherellos contra machinas christianorum construunt, sagittarios arcuum suorum et balistarios contra sagittas istorum dirigunt. Et fodientes per diem et noctem non quiescunt,

unde turris magis appropinquat ad castrum. Nulla requies conceditur fessis, diebus pugnant, noctibus ludos et clamores exercent. Lyvones cum Lettis concussione gladiorum cum clypeis conclamantes, Theuthonici in tympanis et fistulis et ceteris instrumentis musicis, Rutheni cum suis instrumentis et clamoribus noctes omnes insomnes ducunt. Conveniunt iterum omnes christiani, consilia querentes a Deo. Inter quos erat Fredehelmus, dux et advocatus peregrinorum, nobilis ac dives, qui dicebat: “Oportet”, inquit, castrum istud violenter ascendendo comprehendi et vindictam de malefactoribus ad terrorem aliorum vindicari. In omnibus enim castris a Lyvonensibus hactenus expugnatis vitam et libertatem semper optinuerunt, et ideo ceteri nullos timores inde conceperunt. Nunc ergo, quicunque de nostris castrum scandendo primus intraverit, magnis eum honoribus exaltabimus et equos et captivum meliorem, qui fuerit in castro, illi dabimus, preter regem, quem in supremo ramo suspensum super omnes elevabimus. Placet omnibus consilium, vota vovent Domino et beate Virgini statimque mane celebratis missarum solempniis pugna inchoatur. Fiunt comportationes lignorum, sed omnis labor frustratur, eo quod adhuc tempus vindicte Dei non venit. Ad horam itaque nonam Estones in castro magnos incendunt ignes, foramen in munitione magnum aperiunt, de quo rotas ignibus impletas demittentes super turrim dirigunt magnasque lignorum strues superadiciunt. Sed fortes armati christianorum ignes diripiunt, rotas destruunt, omnem flammarum impetum comminuunt turrimque suam defendunt. Interim alii de exercitu ligna comportantes pontem incendunt, contra quos Rutheni cuncti ad portam concurrunt.

6. Iohannes vero de Appelderin, frater episcopi, miles preclarus, ignem tollens in manum suam vallum primus scandere cepit. Cui servus ipsius, Petrus, statim secundus affuit, et nulla mora interveniente ad munitionem usque repente deveniunt. Quod videntes alii de exercitu currunt omnes insequentes eos. Quid plura? Festinant unusquisque, ut primus ascendat, ut Iesu Christi sueque matris Marie gloriam et laudem exaltet, ut ipse laudem et mercedem pro labore suo recipiat. Et ascendit – qui primus obvenerat, nescio, Deus scit – et sequebatur eum universa multitudo. Elevabat enim unusquisque consocium suum desuper in castrum, et alii ad foramen, per quod castrenses rotas cum ignibus emiserant, intraverunt, et primi sequentibus loca preparabant et gladiis et lanceis Estones de munitione effugabant, Postquam igitur iam Theuthonici multi venerunt in castrum, sequuti sunt eos Letti eciam et ex Lyvonibus quidam, et statim ceperunt interficere populum, tam viros quam mulieres quasdam, et non pepercerunt eis, ut iam millenarium numerum adimplerent. Rutheni vero diutissime se defendentes tandem victi sunt et desuper intra munitionem fugerunt et inde iterum extracti, occisi sunt omnes una cum rege circiter ducenti. Alii quoque de exercitu circumdederunt undique castrum in circuitu, non sinentes effugere quemquam. Quicunque enim de castro descendens de intus evadere poterant, in manus illorum, qui foris erant, incidebant. Ex omnibus itaque viris, qui in castro erant, remansit untüs vivus tantum, qui fuerat magni regis de Susdalia vasallus, missus a domino suo cum aliis Ruthenis ad idem castrum. Hunc vestientes postea fratres milicie remiserunt in Nogardiam et in Susdaliam in equo bono, ut verbum, quod factum fuerat, dominis suis nunciaret. Interfectis autem viris omnibus facía est exultatio magna et ludus christianorum in tympanis et fistulis et instrumentis musicis, eo quod vindictam vindicaverant de malefactoribus et omnes perfidos de Lyvonia et Estonia ibidem collectos interfecerant. Post hoc tulerunt arma Buthenorum et vestes et equos et spolia cuncta, que fuerant in castro, et mulieres adhuc superfluas et parvulos, et incenso castro statim sequenti die cum gaudio magno reversi sunt in Lyvoniam, pro victoria sibi a Deo collata laudantes eum in celum, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, Nogardenses vero venerant cum exercitu magno in Plescekowe, volentes castrum ab obsidione Theuthonicorum liberare. Sed audientes idem

castrum iam captum virosque suos interfectos, cum dolore vehementi et indignatione reversi sunt in civitatem suam.

7. Osiliani quoque Theodericum, fratrem episcopi, liberatum a captivitate remiserunt in Lyvoniam, Maritimi vero Rigam venientes ad obedientiam episcopi redierunt et censum duplicem, quem propter Danos duobus annis neglexerant, integraliter persolverunt et fidelitatem perpetuam ecclesie Rigensi promittentes ad fidem christianam redierunt. Similiter Warbolenses tributum et munera deferentes per omnia se Rigensibus exhibebant. Sed Rigenses nichil certi de eis definientes, septem tantum provincias in Maritima, quas omni iure semper possederant, indubitanter recipiebant. Nichil enim iuris Rigensibus in Maritima unquam defuerat, quam expugnatione ad fidem christianam et baptismo et censu et obsidibus semper possederant et regi Dacie numquam obsides eiusdem Maritime reddiderant. Vyronenses quoque et Gerwanenses audita castri Tarbatensis expugnatione Rigam venerunt et equos et munera dominis attulerunt.

8. Episcopus vero Hermannus abiit cum suis in Ugauniam et cepit castrum Odempe edificare et locavit in eo viros nobiles et milites honestos, Engelbertum videlicet, generum suum, de Thysenhusen et Theodericum, fratrem suum, et Helmoldum de Luneborch, virum prudentem et nobilem, et Iohannem de Dolen, donans unicuique corum provinciam, id est kylegundam unam, in feudo. Et alios Theuthonicos quam plures ad cohabitandum in eodem castro recepit, ut et terram et castrum defendant de inimicis et Estones subditos suos fidem docerent christianam, Estones vero, tamquam perfidos adhuc, secum in castro cohabitare non permiserunt. Sacerdotes quoque idem episcopus secum vocavit in Ugauniam et eis ecclesias in beneficio donavit et eos annona et agris sufficienter dotavit, Estonibus quoque de decima semper a Deo statuta competenter docenda proposuit, et receperunt eam et solvere ceperunt eam deinceps annuatim. Inde et sacerdotibus et vasallis suis necessaria dare et promissa solvere disposuit fideliter. Rotmarum eciam, fratrem suum, prepositum instituit, locum sibi conventus in Tarbete preordinans et villas viginti quatuor et reditus et agros sufficienter asscribens, canonicos regulares ibidem fieri disposuit et cathedralem ecclesiama suam illam esse decrevit.

9. Fratres autem milicie abierunt in Saccalam et castrum Viliendes possidentes, firmissime illud edificare ceperunt. Et sacerdotes in ecclesiis locantes, reditus eis tam in annona quam in agris sufficientes assignabant et decimam ab Estonibus recipiebant. Insuper et satisfactiones plenas pro cunctis sibi ablatis et pro dampno sibi illato tam in Ugaunia quam in Saccala perceperunt totaliter. Sed et Waygam dividentes medietatem ad Ugauniam attribuerunt et aliam sibi medietatem cum Saccala et Normegunda et Mocha optinuerunt. Miserunt et Rutheni de Nogardia et Plescekowe nuncios in Rigam, petentes ea que pacis sunt. Et receperunt eos Rigenses, facientes pacem cum eis, et tributum, quod semper habebant in Tolowa, eis restituentes. Lettos vero de Tolowa Rigensis episcopus cum fratribus suis milicie dividebat et duas partes accipiens episcopus, terciam fratribus milicie relinquebat.

XXIX

1. Annus bisdecimus septimus antistitis extitit, et iam Lyvonum terra tranquilla pace silebat.

Postquam enim captum est castrum Tarbatense fortissimum et Estones omnes et Rutheni simul cum rege sunt interfecti, cecidit timor Bigensium et Theuthonicorum super omnes terras vicinag et super omnes gentes, que erant in circuitu. Et miserunt omnes nuncios suos cum

muneribus suis in Rigam, tam Rutheni quam Estones Maritimi et Osiliani, Semigalli et Curones nee non et Letones, querentes pacem et societatem corum, timentes, ne sibi similia facerent, sicut Tarbatensibus intulerant. Et receperunt eos Rigenses, dantes pacem omnibus, quicunque petebant ab eis, et siluit terra in conspectu eorum. Et exiverunt Estones de castris suis, reedificantes villas suas exustas et ecclesias suas, similiter et Lyvo nes nec non et Letti de latibulis silvarum egredientes, in quibus annis iam plurimis tempore bellorum Jatitarunt, et rediit unusquisque in villam suam et ad agros suos, et arabant et seminabant in securitate magna, quam ad quadraginta annos ante non habuerant, eo quod Letones et alle gentes tam ante prodicationem verbi Dei in Lyvonia quam post baptismum eorum nunquam dederunt eis requiem et securitatem. Nunc ergo quiescebant gaudentes in agris et laboribus suis, et non erat, qui exterreret eos, et sapientes plenius de fide christiana confessi sunt lesum Christum sancte monita devotus ibidem impendens, docebat eos, ne subditis suis, stultis Estonibus illis, aut in decimis accipiendis aut in aliis quibuscunque causis nimium graves existerent, ne per talem. occasionem iterum ad paganismum redire cogantur. Venerunt quoque ad cum ibidem nuncii Danorum de Revelis, excipientes eum cum gaudio, suas ei tribulationes et bella nunciantes. Similiter et Estonum nuncii de Maritima, qui cum Danis semper pugnabant, venerunt ad eum, offerentes ei terras ac provincias suas, sicut et Rigensibus semper offerebant, tantum si defenderet eos a Danis et Osilianis. Et recepit eos. Post hoc reversus est in terram Lettorum, et in Tricatua convenerunt Letti de tota provincia, que Tolowa vocatur, ad eum, quibus ipse verbum Dei predixit cum leticia et omnia fidei sacramenta diligenter exposuit. Et inde procedens in Wenden a fratribus milicie et ab aliis Theuthonicis ibidem habitantibus devotissime receptus est, et invenit ibi Wendorum et Lettorum maximam multitudinem. Unde mane facto, congregatis Lettis universis, cum leticia letam els domini Iesu Christi doctrinam predicavit et, sepius passionem eiusdem domini Iesu commemorans, letos eosdem quam plurimum letificavit fidemque eorum et constantiam commendans, eo quod sponte et absque ulla bellorum perturbatione fidem christianam primo susceperunt et postmodum nunquam more Lyvonum et Estonum baptismi sacramenta violaverunt, humilitatem et patientiam corum collaudavit, qui nomen domini nostri Iesu Christi ad Estones et ad alias gentes lete portantes, multos de gente sua propter eandem fidem christianam occisos in martyrum, ut credimus, consorcium transmiserant. Wendis eciam doctrine sue fidella monita non subtraxit nee non et dominis ipsorum, fratribus milicie, quatinus subditis suis leve semper iugum imponentes fideliter cohabitarent, attentius iniunxit. Et post hoc in Sygewalde similia pietatis documenta ministrans omni studio Lyvones, ne deinceps neglectis baptismi sui sacramentis ad paganismum redirent, ammonuit. Et semper fratres milicie nec non et alios Theuthonicos in aliis provinciis commonitos habebat attentius, ut Lyvones et Lettos et alios neophytos, docentes fidem christianam onusque suave Iesu Christi humeris eorum imponentes, tam in decimis quam in aliis causis parcerent eis, ne gravati nimium ad infidelitatem

redirent. Et consummatis his omnibus reversus est in Rigam.

4. Et ibidem venerunt ad eum Theuthonici, Lyvones et Letti, querentes iudicia super causis diversis. Et respondit unicuique secundum causam et querimoniam ipsius et causas multorum et lites determinavit. Audientes quoque Butheni Nogardenses et alii de civitatibus aliis apostolice sedis in Riga legatum, miserunt nuncios ad eum suos, petentes ab eo pacis iam dudum a Theuthonicis facte confirmationem. Et exaudivit cos in huiusmodi petitionibus, fidem corum eciam multis exhortationibus roborando, remisitque omnes in terram suam cum gaudio, Venit eciam Viesthardus Semigallorum princeps, vocatus ad eum, quem multis disceptationibus

et sermonibus longis ad fidem invitavit Iesu Christi. Sed ille infidelitatis sue duritia verba solutis non intelligens et nondum baptismum recipiens, sed iterum de futuro promittens predicatorem domni legati secum in Semigalliam admisit. Venerunt itaque de omnibus terris in circuitu videre legatum curie Romane, inter quos erat eciam Wissewaldus, rex de Gorceke, comes Burchardus, episcopi Danorum de Kevelis, Osiliani quoque et Estones Maritimi, qui se in defensionem ipsius offerebant, promittentes se sacerdotes cum omni iure christianorum recepturos, tantum ut ipsos ab impugnatione Danorum liberaret. Promisitque ipse eis omnem libertatem et misit nuncios suos ad Danos et ad Osilianos, quatenus bella removentes pacem ipsius acciperent et preceptis suis obedientes existerent.

5. Ipse vero neophytos adhuc alios videre desiderans Lyvones in Holme visitavit ibique celebratis missarum solempniis seminatoque doctrine sancte semine in Ykescolam processit, ubi primorum sanctorum episcoporum memoriam commemorans eciam illos Lyvones in Dei servicio confortavit. Deinde in Lennewarde et in Aschrate non minus ab ydolatria Lyvones revocans, cultum unius Dei diligenter edocuit. Tandem in Kokenoyse similiter documentorum sanctorum monita tam Theuthonicis quam Ruthenis et Lettis et Selonibus cohabitantibus fideliter impendit, commonendo semper Theuthonicos, ne subditos suos gravaminibus aut exactionibus indebitis nimium lederent, sed fidem Christi sedulo docendo consuetudines christianas inducerent et ritus paganorum abolerent et tam exemplis eorum bonis quam verbis eos instruerent.

6. Reverso vero legato sedis apostolice rursus in Rigam surgentes Theuthonici, qui erant in Odempe, tempore autumpnali cum omni comitatu suo ad vocationem seniorum Vironensium venerunt in Vironiam et preoccupantes castra Vironie Danos expellebant, dicentes terram ipsam primitus a Lyvonensibus vexillo beate Virginis ad fidem christianam subiugatam. Et ceperunt dominari in omnibus provinciis et castris Vironie. Quo cognito domnus legatus idem convocavit ad se Theuthonicos eosdem et censura ecclesiastica compellebat eos terram ipsam in protectionem summi pontificis resignare mittensque statim nuncios ad Danos in Revelis similiter compellebat et eos in manus suas resignare terram ipsam nec non et alias terras, de quibus contendebant Theuthonici cum Danis. Dani vero non audentes contra stimulum calcitrare promiserunt se curie Romane fideliter obedire et resignaverunt in manus nunciorum domni legati Vironiam, Gerwam, Hariam atque Maritimam et litteras suas sigillatas in Rigam mittentes donationem ipsam confirmaverunt. Quo facto legatus idem viros suos, peregrinos et sacerdotes, mittens in Vironiam Theuthonicos et Danos cunctos removit, habens terras ipsas in sua potestate.

7. Post autem festum Epiphanie, cum propter nives et gelu via sit in frigidis terris illis melior ad eundum, abiit domnus legatus cum clericis et servis, assumens secum Semigallorum episcopum Lamber-Kum, Ioannem, Rigensis ecclesie prepositum, cives quoque Rigenses et fratres quosdam milicie cum pluribus aliis, et pertransiens Lyvoniam venit in Lettorum provinciam et de Lettis in Saccalam, licet in magna corporis sui debilitate. Et quiescens in Viliende duobus diebus, postea abiit in Gerwam, et occurrerunt ei omnes Gerwanenses in willa Carethen, quibus ipse verbum Dei cum gaudio predixit, fidem nstruendo catholicam; in manusque summi pontificis eos colligendo processit ad primum castrum Vironie, quod Agelinde vocatur, et ibi etissime et glorianter exceptus omnem eorum multitudinem convocavit et monita salutaria vite eterne prebens, nomen aperui eis Iesu Christi. Et inde Tarwanpe procedens similia faciebat. E venerunt ibi Dani, sicut vocati fuerant. Et facta est pax inter Theum thonicos primo et Danos, deinde cum Estonibus de cunctis provinciis Et post hoc

profectus est legatus idem in provinciam Tabellini, ula seniores omnes Vironie convenerunt ad eum, audientes ab es doctrinam et fidem christianam. Et recepit eos omnes ad manum summi pontificis et statuit ex els seniores et iudices in omnibu provinciis suis et tunc rediit in Tharwanpe. Et inde abiit ad castrum Danorum in Revelis, et eciam ibi receptus est a Danis et Suecis et cunctis ibi habitantibus in leticia. Et post hoc pueros obsides Vironia cepit ab eis requirere, et nolebant eos reddere in manus ipsius, sed censura ecclesiastica perculsi tandem eos restituere cogebantur, en remisit eosdem obsides parentibus suis in Vironiam. Receperun eciam Warbolenses pacem domni legati et venerunt ad eum im Revelis, Sed ad instantem Danorum petitionem reddidit eos Danis eisdem cum ceteris Harionensibus. Illam vero kiligundam, que Maritima vocatur, cum alia tota Maritima et Vironia et Gerwa ina summi pontificis accepit potestatem, Congregati sunt eciam Estones Revelenses coram eo simul cum Danis, quibus ipse devote verba salutis eterne ministravit et fideliter ammonuit, ut benigne cohabitantes infidelitatis deinceps consilia devitarent. Perfectis vero his omnibus sacerdotes suos in Maritimam misit et ipse per Saccalam reversus est in Rigam, Sacerdotes autem ipsi, Petrus videlicet Kakinwalde cum confratre suo, alio sacerdote, abierunt in Sontagana, et receperunt eos Maritimi cum gaudio et audiverunt ab eis verbum Dei, et baptizati sunt ab eis viri et mulieres et parvuli, qui remanserant ante non baptizati, tam in Sontagana quam in Maianpathe et Pachalle. Et post hoc reversi sunt eciam ipsi gaudentes in Lyvoniam, de fidei propagatione Deum collaudantes.

8. Reverso sedis apostolice legato rursus in Rigam, convenerunt ad eum episcopi, sacerdotes et clerici, fratres milicie cum vasallis ecclesie civesque Rigenses. Et presentibus his omnibus in ecclesia beate Marie celebravit solempne concilium in quadragesima Domini, propter Innocentii instituta, ad memoriam revocando et nova quedam adiciendo, que novelle plantacionis ecclesie necessaria videbantur. Post hoc vero peractis cunctis et terminatis, que ab ipso terminari poterant, et indulgentiis datis, valedicens cunctis et benedicens reversus est ad naves, commendans Lyvoniam beate Dei genetrici Marie cum filio suo dilecto, domino nostro Iesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Et memini et meminisse iuvat. Scis cetera, mater Virgo Maria Dei, tu miserere mei!

9. Multa quidem et gloriosa contigerunt in Lyvonia tempore conversionis gencium ad fidem Iesu Christi, que cuncta conscribi vel ad memoriam reduci non possunt, ne legentibus existeret eciam tediosum. Sed hec paucula conscripta sunt ad laudem eiusdem domini mostri Iesu Christi, qui fidem et nomen suum portari vult ad omnes gentes, ipso cooperante et confirmante, per quem talia sunt operata, qui tot victorias magnas et gloriosas de paganis semper concessit su in Lyvonia et magis semper in paucitate virorum, quam in multitudine, et sue dilecte genetricis, cuius honori una cum filio suo, eoder domino nostro Iesu Christo, omnes terre iste noviter converse sur asscripte. Et ne laus eadem sibi de factis tam gloriosis debita per negligenciam pigrorum oblivioni in posterum traderetur, placui eam rogatu dominorum et sociorum humili scriptura conscribere e posteris relinquere, ut et ipsi laudem Deo tribuant et ponant in e spem suam et non obliviscantur operum Dei et mandata ez exquirant. Nichil autem hic aliud superadditum est, nisi ea, qu vidimus oculis nostris fere cuncta, et que non vidimus proprii oculis, ab illis intelleximus, qui viderunt et interfuerunt. Et non he adulationis aut lucri temporalis gratia conscripsimus, sed potius in delictorum nostrorum remissionem, ad laudem ipsius domini nostr Iesu Christi et beate virginis Marie, genetricis eiusdem Domini, qui cum Patre et Spiritu sancto fuit semper et est et erit benedictus per omnia secula seculorum. Amen.

XXX

1. Bisdenus octavus sequitur venerabilis presulis annus, Hic ornat ecclesiam pace silente piam.

Sedis apostolice legatus Lyvoniam derelinquens ad naves circa mare diu resedit, ventorum gratiam expectans. Et vidit subito redeuntes Osilianos a Suecia cum spoliis et captivis quam plurimis. Qui multas miserias et nequicias cum captivis et mulierculis et virginibus exercere solebant omni tempore, illudentes eas et copulantes alias sibi in uxores, tres unusquisque vel duas vel plures, licitantes sibi illicita, cum non sit coniunctio conveniens Christi cum Belial nec pagani copula congrua cum christiana; quas et Curonibus et paganis aliis eciam vendere solebant, Intelligens ergo domnus legatus omnia mala, que fecerant in Suecia, ecclesiis videlicet incensis et sacerdotibus interfectis et sacramentis delatis et violatis et similibus miseriis, condoluit captivis, orans ad Dominum, ut fiat indicta de malefactoribus. Veniensque in Gotlandiam verbum Dei seminavit, cunctis christiani nominis signum sancte crucis exhibens in remissionem peccatorum, ad faciendam vindictam de perversis Osilianis, Obediunt Theuthonici, crucem recipiunt; Gothi renuunt; Dani verbum Dei non audiunt. Soli mercatores Theuthonici celestia ibi desiderant mercari, equos comparant, arma preparant, Rigam eniunt. Gaudent Rigenses, venientibus occurrunt. Gaudent et yvones Lettique et Estones baptizati, ut ad Osilianos non baptizatos eferant eciam nomen christianum.

2. Hoc anno magister Ioannes, consocius domni legati, habuit in ommissione terras, de quibus discordia fuerat inter Theuthonicos et Danos, Vironiam videlicet, Gerwam et Rotaliam, Interrupta itaque ace idem magister Iohannes cum Danis bellare cepit. Dani quoque, poliantes Rotaliam et incendentes, multa spolia tulerunt, quos eciam servi magistri persequentes, quinquaginta ex eis occiderunt et quinquaginta ex eis in castro Maianpata obsederunt. Sed post triduum miserti eorum, eo quod christiani essent, dimiserunt eos. Misit eciam legatus Theuthonicos quam plurimos in Vironiam in auxilium eidem Iohanni, tam contra Danorum, quam contra sevitiam Osilianorum. Sed audientes Rigenses bella eorum, nuncios mittunt. pacem cum Danis faciunt, ut Osilianos magis impugnare valeant et fidem in gentibus dilatare.

3. Consummatis itaque festis Natalis et Epiphanie Domini nix tegit terras et glacies undas, eo quod superficies abyssi constringitur et aque durantur ut lapides et fit glacies et est via melior super terras et super aquas. Facta itaque via super mare statim Rigenses, sacri baptismi sui irrigatione gentes illas Osilianas, que habitant in insula maris, irrigare cupientes, indicunt expeditionem, convocantes omnes ad fluvium, qui Mater Aquarum dicitur. Fabiani autem et Sebastiani. festo peracto conveniunt omnes Theuthonici, Rigenses, Lyvones cum Lettis et Estones de cunctis provinciis suis, sequentes domnum venerabilem Lyvonensem episcopum, cum quo simul adest Semigallorum episcopus et magister Volquinus cum fratribus suis et peregrinis, deferentes secum cibos et arma sua. Et celebratis missarum solempniis procedunt in glacie versus Osiliam. Erat enim exercitus magnus et fortis, habens viginti pene milia virorum, qui suas ordinantes acies, distincte cum vexillis propriis ambulantes et in equis et vehiculis suis glaciem maris calcantes sonitum tamquam tonitrui magni faciebant ex collisione armorum et vehiculorum concussione et motu strepituque virorum et equorum cadentium et iterum surgentium hac et illac super glaciem, que plana erat tamquam vitrum, ex australibus et pluviosis aquis, que tunc inundaverant, et de gelu, quod subsequebatur. Et magno labore mare transiverunt, donec tandem gaudentes ad litus Osilie devenerunt.

4. Die itaque iam nono venientes ad castrum Mone, nocte sola ibidem quiescere proponunt, habentes conflictum cum castrensibus. Qui timentes bella imminentia et balistarum iacula

recipiuntur in castri sui domicilia, mittentes nocte verba fraudibus plena pontifici ceterisque senioribus exercitus, dicentes se fidem Christi et pacem recipere christianorum, ut procedente exercitu ipsi dampnum et belli detrimentum inferant subsequentibus. Et volebat antistes cum ceteris senioribus [eos] recipere pacemque dare, sed impediebant eos fraudes et scelera eorum, eo quod non sit sapientia neque consilium contra Dominum, qui consuetudines suas pravas derelinquere nolentes et sanguinem christianorum adhuc bibere sitientes et ceteras nequicias exercere cupientes donum sacri baptismi suis pessimis mentibus non meruerunt, ponentes spem in castri sui firmitate et nolentes pacem et turpia queque loquentes magis occidi quam baptizari meruerunt. Et quia pacem forte noluerunt

pax ab eis fugit et ultio sola venit.

Primo itaque Theuthonici vallum petunt, castrum scandere sperant, sed repelluntur ab illis, lapidum et lancearum leduntur ictibus, unde tam arte quam marte pugnare coguntur. Machinas edificant, datur et fraternus amor. Dicitur, et Suecos captivos restituant porcum fingunt, sub quo castrum fodiunt, donec ad medium vallum perveniunt. Tune amoto porco turrim ligneam fortem ponunt in loco, super quam ascendunt armati fortes et balistarii, mittentes tela sua et spicula et lanceas super Osilianos in munitione. Extra illi lapides et iacula jactant super istos. Postquam sexta dies illuxit, prima videlicet post festum purificationis, ne ipsa dies purificationis fieret non pura sanguine interfectorum, primo mane magis invaluit pugna, ut eciam ferro recurvo vel unco ferreo iam infringerent munitionem, detrahentes singillatim ligna queque maxima, per que munitio tenebatur, ut aliqua pars munitionis iam ad terram usque veniret, Gaudet exercitus christianorum, exclamant, Deum exorant. Clamant et illi, gaudentes in Tarapitha suo. Illi nemus, isti Iesum invocant, in cuius nomine ac laude fortiter ascendunt, ad summitatem valli perveniunt, fortissime et ab illis repelluntur. Qui primus ascendit, multarum lancearum ictibus ac lapidum tunsionibus premitur, quem utique solus Deus inter tot hostes furentes illesum conservavit. Nam scandens sursum statim ab hostili turba retruditur. et iterum et sepius scandens toties ab inimicis repellitur, quoties ad alta conscendere nititur, donec tandem idem Theuthonus

ense suo longo repellens hastas hostiles,

angeli Dei utique sublevatione supremam devenit in munitionem, que super hostium capita fuerat, et, ne lanceis hostium lederetur desubtus, clypeum locavit sub pedibus

stansque super clypeum solus pugnavit ad hostes,

donec Deus secundum misit et tercium. Tercius, heu, detrusus ab alto relabitur. Duo nichilominus contra multitudinem hostium se defendunt, contra quos post tergum ex Osilianis quinque super eandem conscendunt supremam munitionem, mittentes lanceas suas super eos. Quorum primum, lancea repercussum,

Theuthonus ense ferit, ille cadendo perit,

et alii in fugam se convertunt. Alii Theuthonici subsequentes fortiter ascendunt, ut primis in auxilium veniant. Licet ab hostium ferocitate fortissime repellantur et plures ex eis feriantur vulneribus receptis et alii interficiantur, tamen in Domino confidentes et magno labore nmultitudinem hostium removentes, tandem summitatem munitionis optinuerunt. Erat itaque ascensus valde difficilis, eo quod mons altus erat et congelatus et murus supra montem ex lapidibus tamquam glacies congelata, ut pedem nusquam figere possent. Sed quidam per

sealam, quidam per funem se detinentes, immo per angelum Domini sublevati, sursum perveniunt hostiumque undique fugientium terga premunt. Vox exultationis et salutis christianorum! Vox in Rama, ploratus et ululatus confusionis et perditionis paganorum! Intrant in castrum et interficiunt populum,

parcere paganis non possunt Osilianis,

nam trucidant alios et capiunt alios.

Lyvones cum Lettis circumeuntes castrum, nullum ex eis effugere permittunt. Devictis hostibus gaudent victores, Deo laudem canentes. Qui David a Philisteis semper defendit, liberat et ipse suos, victoriam dans de inimicis, Urbem capiunt, predam rapiunt, substantias, res eximias diripiunt, equos et pecora depellunt, quod residuum est,. igne comburunt, Castrum Osilianorum vorat ignis, sed christiani. spolia gaudentes diripiunt.

5. Castro Monense in cinerem redacto festinat exercitus ad aliud castrum, quod est in media Osilia, quod vocatur Waldia. Et est Waldia forcior urbs inter alias urbes Osilianorum. Ad quam resedit exercitus, preparans instrumenta bellica, patherellos videlicet et machinam magnam et maximas arbores abiegnas et terebinthinas ad faciendam turrim contra munitionem castri. Lyvones vero, Letti et Estones cum quibusdam eciam Theuthonicis, circumeuntes ad omnes provincias, tulerunt equos et boves eximios et res et spolia multa, frumentum multum et similia, et villas igne combusserunt. Waldienses vero, lapidum iacturas sustinere non valentes pre multitudine populi, qui erant in castro, simul et balistarum non ferentes tela nec non et instrumenta considerantes, que preparabantur, quibus facile erat capere castrum, timore Dei concepto pacem petunt terroremque forte habentes de Monensibus occisis

humiles se reddunt, pacifica verba loquuntur,

sacri baptismatis sacramentum sibi dari suppliciter exposcunt, Gaudium hoc est christianorum,

laus canitur Domino et pax datur populo.

Obsides requiruntur filii meliorum. Fiunt Osiliani Waldienses filii obedientie, qui quondam filii superbie. Qui quondam lupus, modo fit agnus. Qui quondam persecutor christianorum, modo fit confrater, pacem recipiens, obsides dare non contradicens, baptismi gratiam fideliter petens, tributum perpetuum solvere non pertimescens.

Dantur pueri nobilium, quorum primum venerabilis Rigensis episcopus cum gaudio et devotione magna catechizatum sacro baptismatis fonte rigavit; alii presbyteri alios rigaverunt, qui et in urbem cum gaudio ducuntur, ut Christum predicent, ut Tharaphitam, qui deus fuit Osilianorum, eiciant, qui per medium castrum fontem consecrantes et dolium replentes primo seniores et meliores cathechizatos, deinde viros alios et mulieres baptizant et pueros. Et fit pressura maxima virorum et mulierum ac parvulorum clamantium: Festina me baptizare, a mane usque ad vesperam, ut eciam. ipsi presbyteri, qui modo quinque, modo sex extiterant, pre labore baptizandi deficerent. Baptizantes itaque presbyteri cum summa devotione multa milia populorum, quos cum summo gaudio videbant ad baptismi sacramentum properare, gavisi sunt et ipsi, sperantes eundem laborem in suorum remissionem peccatorum. Et quod eodem die non potuerunt, sequenti et tercio consummaverunt.

His mysteriis in urbe Waldia celebratis venerunt nuncii, missi de cunctis urbibus et kiligundis Osilie, querentes pacem et baptismi petentes sacramentum. Gaudet exercitus obsidibusque

receptis pax datur et Fraternus amor. Dicitur et Suecos captivos restituant liberos. Obediunt, restituere promittunt, presbyteros secum ad castra sua ducunt, qui Christum predicent, qui Tharapitha cum ceteris paganorum diis eiciant, qui populum sacro baptismate tingant. Baptizant itaque sacerdotes in omnibus castris Osilie populum universum utriusque sexus cum leticia magna et pre gaudio lacrimantes, eo quod Domino tot milia genuerunt per lavacrum regenerationist prolem spiritualem, Deo dilectam sponsam novam ex gentibus.

Gentes fonte rigant, fletibus ora rigant.

6. Sic, sic Riga semper rigat gentes!

Sic maris in medio nune rigat Osiliam

Per lavacrum purgans vitium, dans regna polorum

Altius irriguum donat et inferius.

Hec dona Dei sunt gaudia nostra. Gloria Dei et domini nostri Jesu Christi et beate Marie virginis servis suis Rigensibus in Osilia talia dedit gaudia: vincere rebelles, baptizare sponte et venientes humiliter, obsides et tributa recipere, captivos omnes christiani nominis restituere, cum victoria redire! Quod reges hactenus non potuerunt, hec heata virgo per servos suos Rigenses breviter et leniter ad honorem sui nominis adimplevit. Quo completo, quo facto, populo videlicet cuncto baptizato, Tharaphita eiecto, Pharaone submerso, captivis liberatis, redite cum gaudio Rigenses!

Vos semper sequitur victoria clara triumphi Gloria sit Domino, laus super astra Deo.

Finis